Cat, Edouard Charles
De Caroli V in Africa
rebus gestis

DE CAROLI V

IN

AFRICA REBUS GESTIS

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

E. CAT

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

—

1891

DE CAROLI V

IN

AFRICA REBUS GESTIS

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM

DE CAROLI V

IN

AFRICA REBUS GESTIS

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

E. CAT

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

—

1891

FILIOLAE · MEAE ·

INIQUO · FATO · NUPERRIME · ADEMTAE ·

MEMORIAE ·

SACRUM

INDEX LIBRORUM

DOCUMENTORUMQUE QUORUM SÆPISSIME USI SUMUS

A. *Libri typis mandati.*

G. ZURITA, *Historia del rey D. Hernando el Catolico*, Cæsaraugustæ 1670. Duobus voluminibus in-4° constat, quæ aliquando quintum et sextum Annalium Aragoniæ ejusdem auctoris volumina designantur.

P. DE QUINTANILLA Y MENDOZA, *Oranum virtute Ximenii Catholicum*, Hispali, 1550, in-8°.

ALVARO GOMEZ, *De rebus gestis Francisci Ximenii*, Compluti, 1554, in-4°.

P. DE GAYANGOS et V. DE LA FUENTE, *Cartas del cardenal don fray Francisco Jimenez de Cisneros, dirigidas á don Diego Lopez de Ayala, publicadas de real orden*, Matriti, 1867, in-8°.

PR. DE SANDOVAL, *Historia de la vida y hechos del emperador Carlos V maximo, fortissimo rey catholico de España y de las Indias, Islas y Tierra firme del mar oceano*, etc. Antwerpiæ, 1581, 2 vol. in-f°.

MEMORIAL HISTORICO ESPAÑOL, vol VI, in quo *Cronica de los Barbarojas* a L. DE GOMARA scripta multaque documenta continentur.

DOCUMENTOS INEDITOS (a Navarrete et aliis collecta), vol. XXIV in quo vita ducis Ugo de Moncada a GASPAR DE BAEZA scripta multaque alia documenta a VARGAS PONCE reperta legenda sunt.

LA FUENTE, *Historia general de España*, Matriti, 1850-1867, 30 vol. in-8°.

Galindo y de Vera, *Historia, vicissitudes y política tradicional de España respecto de sus posessiones en las costas de África,* Matriti, 1884, in-8°; opus quod novis quibusdam documentis non caret sed multis et magnis mendis vitiatur.

De Grammont, *Histoire d'Alger sous la domination des Turcs ;* Parisiis, 1887, in-8°.

G. Turba. *Ueber den Zug Kaiser's Karls V gegen Algier,* Vindobonæ, in-8°, 1890.

R. Basset, *Documents musulmans sur le siège d'Alger en 1541, publiés, traduits et annotés.* Parisiis, in-8°, 1890.

B. *Codices manuscripti.*

1° Collectionis quæ dicitur *Salazar,* in Bibliotheca Academiæ historicæ Matriti volumina A, 16, A, 17, A, 18, A, 44, signata; in his invenies multa documenta de rebus publicis Hispaniæ, Ferdinando et Carolo V regnantibus, et quamplurimas epistolas vel a Carolo vel ad Carolum scriptas;

2° *Commentarios y guerra de Tunez* ab Alonso de Sanabria, in codicibus G, 65 et Y, 172, Bibliothecæ regiæ Matritensis;

3° *Historia y conquista de Tunez,* diarium a milite quodam ignoto scriptum (forsan in capitulo XXVI nomen auctoris datur, sed id nunc certius facere non possumus) in codice Ee, 85 ejusdem Bibliothecæ;

4° *Historia de Berberia* a Diego de Suarez, in codice X, 216 ejusdem Bibliothecæ;

5° Notæ et documenta de Dragut pirata, insula Gilva et littoribus Tunetani regni in codice V, 248 ejusdem Bibliothecæ.

PROLOQUIUM

Cum abhinc tribus sæculis multi historiarum scriptores vitam et præclara Caroli Quinti facta posteris retulerint, nihil forte reliqui est; sed plerique, cum gloriam magni imperatoris celebrare ejusque bella in Italia Germaniaque narrare maluerint, bella quæ gessit adversus Mauros, non tam ut Turcas debellaret quam ut Africa potiretur, prætermiserunt aut saltem breviter exposuerunt. Nobis igitur non alienum visum est demonstrare Carolum Quintum Ferdinandi cognomine Catholici consilia secutum esse, et, quod Hispani semper adipisci voluerant, Africam armis petiisse. Itaque epistolis et monumentis accurate inspectis, quæ aut jam nota erant aut in tabulariis Hispanicis servata nondum edita sunt, varias earum rerum vices paucis verbis narrare conati sumus.

CAPUT PRIMUM

Quomodo, ineunte seculo sexto decimo, Hispani ad Africam armis subigendam parati viderentur.

Legentis annales Hispani populi admirationem movet illud longissimum bellum inter Mauros Christianosque, quod inceptum eo tempore quo Asdrubal dux Pœnorum erat, variis modis variaque fortuna continuatum et hodie vix exstinctum, semper Castellanis antiquis sicut Hispanis temporis recentioris atque etiam aetatis nostræ gratissimum fuit. Quibus, postquam per tria sæcula Arabibus obnoxii fuerant, terra patria pedetentim ab Infidelibus recuperanda fuerat, et tantummodo post quatuor saecula bellorum laborumque, Granatam, ultimam Arabum arcem, et Hispaniam totam in libertatem vindicare valuerant.

Attamen, hac victoria parta, non cessatum est a bello. Etenim Mauri, ex Hispania depulsi, sedem suam in litore maris, contra patriam perditam, in locis qui situ, natura, adspectu et frugibus eis Hispaniam in memoriam reducebant, constituerunt. Et, cum latifundia ubi agros colere et pecuariam facere possent non possiderent, quod ceteroquin genus vitæ dudum desueverant, præsertim in civitatibus, artificium commerciumque exercentes, vixerunt. Deinde, cum nullus Maurorum regulus adversus Hispanos magna tentare posset, navibus instructis, bellum in diversas partes et sæpissime gesserunt, et deposita omni spe pristini sui imperii armis recuperandi, saltem illius novos dominos vexaverunt. Tale quidem belli genus mirum in modum indoli hujus gentis congruebat; in quo, sæpissime adjuti a Mauris qui in Hispa-

nia permanserant, de hostibus magnas prædas plerumque agebant et multos Christianos in servitutem redigebant. Tunc mari expeditiones ducebant similes illis quas olim terra per agros, et quæ vernacula lingua *razzia* vocantur. Itaque, in dies crescente et eorum numero et victoriarum fama, duces, quos in lingua sua *reiss* vocant, non sine jure se reges maris esse jactabant.

Tot tantasque injurias Hispani haud æquo animo acceperunt; sed odio prisco in Infideles exacerbato, memoria Granatæ nuper domitæ spem eorum augente, nihil aliud in animo habebant nisi illud bellum, quod per tot annos in patria sua gesserant, in Africam transferre et ad fidem Christi totam Maurorum gentem armis redigere. Hæc erant in votis omnium Hispanorum; hæc omnes cum patres tum plebs simul Deum rogabant. Quo factum est ut, post expugnatam Melillam a duce de Medina-Sidonia anno MCCCCLXXXXVII et insulam Gilvam a præside Siciliæ occupatam die duodetricesimo septembris ejusdem anni, intrepidus comes de Tendilla unum flagitaret, ut præficeretur mille equitibus et decem millibus peditum ad subigendam regi totam regionem quæ inter Melillam et Icosium jacet.

Quod de invadenda Africa censebant Hispani omnes, id dies et noctes in animo suo volutabant præcipue ipsa regina Isabella et confessor ejus, vir longe peritissimus inter eos qui unquam ad rempublicam in Hispania se accesserant, inclytus cardinalis Franciscus Ximenius de Cisneros. Etenim cum ambo studio Christi arderent, numine divino decretum esse credebant ut armis Infideles domarent et ad ipsorum fidem converterent; fortasse etiam convertere in bella externa eam plebem quæ eo tempore tanto studio laudis flagrabat et eam nobilitatem turbulentam quæ in otio bella civilia movendo delectabatur, utile esse existimabant. Quod si antequam apparatus belli quod meditabatur videre posset regina vita decessit, attamen testamento suo, Medinæ-Campi dato, mandavit hæredibus suis ut pro fide cum Infidelibus bellarent et sine ulla intermissione omni ope et opera ad Africam subigendam

enitercntur. Cum autem rex Ferdinandus, Isabellæ conjux, non tanta spe inflaretur et imprimis impensas tantæ expeditionis facere dubitaret, cardinalis, perinde ac si regina ipsi hæredi reliquisset consilia sua, magnam partem impensarum ipse præstitit; quare exercitus, omnibus necessariis rebus instructis, Mers-el-Kebir, unum ex illis duobus portubus quos antiqui *divinos* nominaverunt, cepit. Portus ille tutissimus est totius litoris et maximi momenti ad bellum in intimam regionem gerendum existimabatur. Res tunc ultra non processerunt, sed compluribus Hispanis juxta Mers-el-Kebir profligatis occisisque, regi Ximenius demonstravit id Hispaniæ magno dedecori fore, nisi tantam injuriam ulcisceretur. Rege autem parum assentiente, se totam impensam præstaturum pollicitus est, et, navibus instructis, copiis conductis, omnibus rebus mirum in modum paratis, monachus ille, annis jam confectus fractisque morbo viribus sed invicta virtute fretus, ipse ad bellum exercitum duxit, et Oranum, alterum ex duobus portubus, secundam inter civitates regni Tremezenii, expugnavit, die decimo sexto maii, anno MDIX [1]. Præterea comes Petrus Navarrensis, quem classis ducem Ximenius ex Africa discedens reliquerat ut opus perficeret, maria percurrit magna cum strage prædonum et Saldas [2], die sexto januarii MDX, Tripolimque, die ultimo mensis julii, per vim expugnavit. Quibus victoriis tam repentinis et hispanicæ fortitudinis fama perterriti, rex Maurorum Saldantium in fidem et clientelam

1. Quomodo captum sit Oranum oppidum multi scriptores narraverunt, at mihi videntur maxima fide digni de ea re Alvarus Gomez et Quintanilla. Ambo litteras et monumenta plurima versaverunt, quæ a Ximenio relicta testamento Universitati Complutensi hodie in codice quodam (signato hoc modo : 94ª Z). Bibliothecæ Matritensis Universitatis servantur. Documenta multa ex hoc codice de apparatu expeditionis et de Oranici præsidii historia colligere potuissemus; sed cum hæc pars historiæ a proposito nostro aliena sit, illas chartas cursim legimus, incredibilem rei militaris curam quam Ximenius præbet mirati. De Orano armis capto vide insuper : *Revue Africaine*, vol. XIX; *Cayetano Rossell : Discurso sobre la expedicion á Oran y del pensamiento de conquista de Africa*, Madrid, 1857, in-4°; *Ximenez de Sandoval : Las inscripciones de Oran y Mazalquivir; noticias historicas sobre ambas plazas desde la conquista hasta su abandono en 1792*, Madrid, 1867, in-4°.

2. Urbs quæ nunc *Bougie* vocatur.

Ferdinandi Catholici se recepit et dux Icosii [1] ad regem christianum legatos misit, qui fœdus quo se ejus imperio subjiceret inirent. Quod exemplum paulo post secuti sunt rex Cartennarum [2] et duces urbium Rusucurru [3] et Mostaganem, et ad extremum rex ipse Tremezenii, quam urbem antiqui Pomariam vocabant, ita ut vere dici potest omne litus Africanum a freto Herculeo usque ad Syrtes imperio Ferdinandi accessisse. Documento est quod, cum Hispani, duce Petro Navarrensi, magnum detrimentum ad insulam Gilvam [4] accepissent, novus rerum status haud multum mutatus est. Verum est quidem Mauros, hac Hispanorum clade cognita, occasionem opportunam non amisisse, et cum auxilia a rege Tuneti accepissent, conatos esse christianos e Tripoli expellere, sed eorum cœpta secus cesserunt, et nuntiato novam expeditionem a Ferdinando in Africam parari, reges Tremezenii, Tuneti, ceterique duces iterum ut reciperentur in ditionem petiverunt.

Etenim Ferdinandus Catholicus, cum in principio invitus ad bellum impulsus esset, tandem populum sequebatur, et fortasse quia animo haud æquo gloriam Ximenii intuebatur, nomen suum Africa domita commendare cupiebat. Quam regionem dextrorsus et sinistrorsus conjunctim adoriri poterat. Etenim ei licebat ab Occidente ex Hispania profecto Orani belli sedem ponere; ab Oriente autem, cum Magnam-Greciam et Siciliam possideret, paucis horis exercitum Tripolim, quam fortissimam arcem jam tenebat in sua ditione, trajicere poterat. Ei placuit in ea urbe maxima nautica castra constituere et Siciliæ præsidi præcepit ut eam diligentissime servaret, dum novæ expeditionis, quam in animo habebat ipse ducere, apparatus acceleraret. Jamque cupidus ulciscendæ injuriæ a militibus suis ad Gilvam insulam acceptæ, in eo erat ut proficisceretur Malacam, navem ibi conscensurus, cum bellum,

1. Hoc antiquitus urbis quæ hodie *Alger* nomen fuisse certum est.
2. Ita apud Romanos *Tenès* urbem nuncupatam fuisse ex multis titulis constat.
3. Id est, ut creditur, nomen antiquum urbis quæ nunc *Dellys*.
4. A. Gilva, antiquo insulæ nomine, Hispani illam *Gelves* dixerunt; in mappis recentioribus *Gerba* vel *Djerba* inscribitur.

quod ei rex Galliæ minabatur, cum in Hispania permanere et copias suas omnes in Italiam mittere coegit, anno MDXI, ea quidem mente ut expeditio tantummodo in tempus præsens omitteretur. Eo tempore pro certo habebatur fore ut Africa Hispaniæ breviter fieret. Etenim, occupatis Orano et Mers-el-Kebir oppidis, Hispani ex commodo appellere poterant, et, cum in illis præsidia collocavissent, in dies castra proferebant. Eodem modo res se habebat Icosii, ubi castellum nomine Peñon quod portus faucibus imminet exstruxerant, Saldis et Tripoli, cui præsidium amplius quatuor millibus militum imposuerant. Ita omnes portus tutissimos in litore Africano adepti erant, et ipsi reges Tremezenii et Tuneti et urbes Mostaganem, Mazagran, Cartennæ, Rusucurru nonnullæque aliæ imperio eorum parebant. Præterea milites strenuos exercitatissimosque, duces rei militaris peritissimos, classem numero metuendam habebant ; accedebat ut hostibus præstarent quia concordes eadem conabantur et summa pertinacia inceptum opus exsequebantur. Africani contra, cum in mille gentes divisi inter se continuo bellarent, sub tribus regibus qui non solum de finibus contendebant sed etiam frequenter suorum seditiones coercere et cum suis cognatis rebellantibus conflictari cogebantur, ad resistendum in certamine longo impares fore videbantur.

CAPUT SECUNDUM

Quomodo in Africa status rerum mutatus sit.

Ferdinandus Catholicus, ut supra dictum est, jam ab ineunte anno MDXI magnum exercitum in Africam ducere meditabatur, ut cladem a comite Petro Navarrensi ad insulam Gilvam acceptam ulcisceretur et Mauros perdomaret. A Tuneto incipiendum erat, cujus rex ausus erat, sed frustra, hispanicum præsidium Tripolis aggredi. Itaque mense januario Hispalim profectus est ut classem summa diligentia instrueret; dux enim ut portu proveheretur ver exspectabat, quia eo tempore anni ventus et æstus secundi sunt, magnas copias traducturus, veteranos in Italia militiæ assuetos et inter quos multi tirones inserti erant; paulo post mille Angli sagittarii Gades devenerunt; eodem tempore equites et nobiles permulti Hispalim se conferebant, et dum per totam Hispaniam sacerdotes ad bellum sacrum Christianos cohortantur, Ferdinandus ceteros Europæ reges se mox profecturum commonebat. Jamque ad Malacam iter faciebat, ipse ducturus exercitum, cum rex Galliæ libellum contra Summum Pontificem edidit, ex quo intelligi poterat bellum Ferdinando et Italiæ imminere. Cum ille suas in ea regione provincias servare vehementer cuperet, in tali tempore non poterat ut experiretur fortunam trans mare Mediterraneum hærere; idcirco bellum adversus Tunetum differre statuit, et, Anglis sagittariis mense junio dimissis, copias ad bellum italicum necessarias instruxit [1].

1. In illis rebus narrandis, chronica veracis *Zurita* sequimur : l. IX, c. XXXIII. Ludovicus XII, rex Galliæ, sic persuasum habebat famam belli contra Africam a Ferdinando divulgatam esse, eo solum consilio ut celaretur quod adversus

Ab isto die Ferdinandus bellum adversus Infideles omisisse videtur. Cum Aragonensis esset genere, et, ut ita dicam, aragonensem animum haberet, ei magnæ erant curæ res Navarræ et Neapolis, quas regiones Catalani et Aragonenses in numero provinciarum suarum ducere assueverant, et quas semper intuebantur, dum Castellanis nihil præstantius erat quam bellum adversus Mauros persequi. Abhorruit igitur ab hac ratione reipublicæ administrandæ, qua abhinc tot sæculis Castellanis gratissima usi erant et Ximenius cardinalis et pia regina Isabella. Anno MDXII multis militibus e præsidio Orani dimissis, præcidit Hispanis spes magnas in quas res tam feliciter gestæ ab intrepido Ferdinando de Cordova eos adduxerant, nec multum profuit militares colonias instituere, per quas rex Hispaniæ se suam auctoritatem in ea regione servaturum confidebat. Nullum præsidium oppidis Cartennis et Mostaganem, quæ jam imperio suo obtemperabant, imposuit, et satis habuit indigenas eligere, ut supremum magistratum gererent, qui in lingua vernacula *caïd* vocantur. Tandem urbes Saldas et Tripolim equitibus sancti Jacobi, Alcantaræ et Calatravæ defendendas tradere meditabatur, et sic plane demonstrabat se eam reipublicæ gerendæ rationem quam semper Castellani principes secuti erant deserere.

Quæ tali ex commutatione eventura essent, brevi tempore omnibus patuit, et sapientissime, mea quidem sententia, Zurita dicit « opus belli Italici causam fuisse cur non confi-

Galliam cogitaret : « Ego sum, aiebat, ille infidelis et ille Turca quem iste vult aggredi. » Quanquam semper erat Ferdinandus parum fidi ingenii, tamen in illo tempore videtur non mentitus esse. Etenim, a die decimo tertio mensis Augusti, anno MDX, curiæ Monzone congregatæ armis domare regna Tuneti et Saldarum et victis christianam fidem imponere decreverant, et ad eum finem magnam pecuniæ copiam regi concesserant; deinde, clade a Petro Navarrense apud insulam Gilvam accepta, omnibus visa erat imminentior expeditionis necessitas. Præterea haud facile sit intelligere cur Ferdinandus Anglos sagittarios mercede conduxerit, si bellum in Italiam inferre meditatus esset, et ne plura dicam, cum Hispalim in qua copiæ ad signa se aggregarent elegisset, manifestum videtur exercitum adversus Africam revera esse paratum; nam adversus Italiam Barcinonem, Valentiam aut Baleares insulas, ubi naves conscenderent copiæ, melius fuisset eligere.

cerentur ea quæ jam decreta essent atque ita ex eo tempore incolas littoris Hispanici cœpisse confici calamitatibus, quæ postea secutæ sint ». Etenim maritimi prædatores ab integro audacius se jactaverunt et mare internum infestatum est et ora Hispaniæ a freto Herculeo usque ad Siciliam vastata. Licet incursiones istæ ex monumentis nunc editis plane et diligenter enarrari non possint, tamen ex omnibus hujus ætatis documentis constat civitates Hispaniæ, in maris Mediterranei littore jacentes, multa magnaque detrimenta passas esse. Hæc omnia enarrare non propositum est mihi, sed ea solum quæ ad Baleares insulas acta sunt. Quarum incolæ a mense februario anni MDIX nullam in conspectu hostium navem viderant, at extremo anno MDXII et iterum ac sæpius prædones Mauri in ipso sinu Palmæ raptum naves onerarias venerunt et in interiorem regionem incursiones ausi facere, ingentem prædam sustulerunt. Nec multo post quadraginta triremes Turcarum in conspectum venerunt; at incolæ recentibus damnis admoniti magna pericula sibi instare, muros restituerant et accurate defensionem paraverant; quo factum est ut Turcæ, ne exscensionem quidem ausi tentare, discederent. Anno MDXIII triremes, quibus suas piscatorias cymbas tuerentur, ab incolis constructæ sunt, at nusquam legitur eos a rege auxilia accepisse, quibus aptius se defenderent; quin etiam, cum classis cui præerat Ugo de Moncada, in Italiam missa se Majoricam contulisset et cibariis careret, per duos menses incolæ cibarios illi subministrare coacti sunt, quia naves commeatum transportantes e portubus Malaca et Hispali non advenerant. Postea, Saldis urbe ab Horuscio Barbarossa et magno Maurorum Turcarumque exercitu circumsessa et auxilium regis flagitante, ille cum nullum militem nullamque navem haberet, ad Majoricenses recurrit. Qui trium millium numero profecti, die decimo quinto mensis augusti anni MDXIV, duce Michaele de Gurrea, parte maxima sumptus ab ipsis suppeditata, Saldas obsidione eximunt victoresque redeunt. At cum periculum esset ne Barbarossa hanc cladem ulcisci vellet et minime Majoricenses possent sperare classem regiam sibi auxiliaturam

esse, omnes insulæ viros numero decem mille conscribunt, et, ducibus electis, stant prælio intenti [1].

Nullo modo dici potest nihil actum esse a rege ut littora regni sui a Maurorum prædationibus tueretur; etenim eo tempore cum decem triremibus Ludovicus de Requesens mare tenebat, et, ubi occasio se dederat, piratas lacessebat. A quo insignis dux prædonum, nomine Soliman, olim victus est; qui tredecim navibus præerat, ex quibus Hispani sex ceperunt et tres oppresserunt, prædam omnem, quam ille audacissimus Turca circa Drepanum et Lilybæum abripuerat, recuperantes. Præterea, incipiente mense januario anni MDXVI, cum Icosii incolæ ad rebellandum parati viderentur, restauratum est castellum illud quod Peñon nuncupatur; at nihil præter defensionis causam tentabatur ita ut crederes regem Ferdinandum magna consilia Ximenii, Isabellæ atque sua oblitum esse.

Eodem tempore quo rex Hispaniæ ita a bello adversus Infideles desistebat, isti, ut prædationes suas persequerentur, magna auxilia recipiebant. Turcæ enim, qui nuperrime qua via ad occidentalem partem maris Mediterranei iri possit didicerant, societatem cum Mauris fecerunt, classes eo nomine vere dignas instruxerunt et formidandas incursiones maritimas instituerunt. Duces peritissimi rei navalis, ut Soliman ille, qui a Ludovico de Requesens ad Pantellariam victus erat, et Horuscius Barbarossa, qui in conspectu Minoricæ navem quamdam Anglorum rapuit et circa portum Sanctam Pollam duas triremes Hispanorum, classibus Infidelium in bello adversus Christianos præsunt. Incursiones maritimæ vastatioque littorum Hispaniæ et Italiæ jam non erunt, ut antea, latrocinia paucorum prædonum, at continuum bellum, cujus participes erant Mauri omnes, ducti a Turcis audacia sua et peritia rei navalis inclytis.

Vix totius Hispaniæ vires tanti belli molem sustinere potuissent, quum, mortuo rege Ferdinando, immensum ejus

1. *Alvaro Campaner y Fuertes : Chronicon Mayoricense.* Palma 1881, in-4°, p. 224.

imperium transiit ad principem qui adolescentulus adhuc jam Batavis imperabat, et qui postea, imperator Germaniæ electus, Carolus Quintus a rerum scriptoribus nominatus est.

CAPUT TERTIUM

De rebus a Ximenio in Africa gestis et de consiliis ejus.

Morte Ferdinandi cognita, incolæ Icosii quibus Hispania jam invisa erat, opportunum tempus esse rati ut jugum excuterent et castellum illud Peñon everterent quod aditum portus obstruebat et impediebat quominus ad incursiones maritimas agendas proficiscerentur, duce suo Selim Eutemi seu nolente seu volente, ab Horuscio auxilium petiverunt. Ille cum octingentis Turcis venit et castellum frustra expugnare tentavit; dein, cum insidiis Selim Eutemi interfecisset, rex Icosii factus est. Ita Turcæ qui jam in insula Gilva, Igilgili et Juliæ Cæsareæ civitatibus præsidia imposuerant, in ditione sua illam Africæ urbem quæ commodissima est ad bellum contra Hispaniam gerendum tenebant et fundamenta imperii potentissimi agebant.

Interea cum, absente juveni rege Carolo, respublica in Hispania cardinali Ximenio commissa esset, Christiani jure sperabant fore ut Orani domitor cum summo studio operi, quod olim reginæ Isabellæ conficiendum esse demonstraverat et ipse tam felicibus auspiciis inchoaverat, incumberet, id est Africæ armis domandæ et ad fidem christianam convertendæ. Cum per litteras a castello Peñon missas quæ Icosii acta erant cognosceret, nihil periculi in futurum prævidebat et die vigesimo quinto mensis aprilis ad amicum suum Lopez de Ayala, quem consiliorum suorum participem facere solebat, hæc scribebat : « nuperrime audivimus Turcam prædonem quem-« dam, nomine Barbarrossam, Icosium veniisse et a nonnullis « proditoribus adjutum eo oppido potitum esse, discordiam « autem inde ortam esse inter ipsos Mauros, quæ eis certæ erit

« perniciei ; omnia quæ necessaria visa sunt parari jussimus, « ut iste prædo destruatur et res omnes in eo littore sicut tibi « scripsimus componantur [1]. » Errabat autem cardinalis. Etenim incolæ Icosii, hispanicis vexillis de mœnibus dejectis, universi partes Horuscii tenebant, qui se crebriores incursiones facturum pollicendo eos spe opimæ prædæ illiciebat. Præsidium hispanicum, in castello Peñon relictum, a Mauris circumsessum et omnino commeatu privatum erat ; auxilia per unamquamque navem rogabat cardinalem et die octavo mensis augusti præfectus Nicolaus Quint ad Ximenium scribebat se cibariis, aqua et pulvere tormentario carere, defensores castelli non esse plus ducentis ex quibus vix octoginta possent vere milites putari, et tandem necesse esse auxilia quam celerrime mittat, nisi oppidum, quod tanti momenti in littore africano esset, amittere vellent [2].

Jam abhinc nonnullis mensibus cardinalis novam expeditionem meditabatur, sed nec milites nec pecuniam in promptu habebat ; accedit ut, jam rebellatis Neapoli Siciliaque, in omnibus etiam Hispaniæ partibus seditiones cooriebantur, et nobiles pristinam libertatem suam vindicaturi esse videbantur. Quod præter omnia miserrimum erat, cardinalem non fugiebat se minus gratum esse Carolo regi, et eorum, quos in concilium convocare solebat, invidiæ obnoxium esse. Cum Carolus quæ deberet esse ratio reipublicæ hispanicæ de rebus africanis non intelligeret, timendum erat ne milites quibus ei in Europa opus erat in Africam mittere recusaret. Idcirco cum tironibus, confestim collectis, Ximenius bellum agere statuit ; sed dux inclytus, nomine Ferdinandus de Andrada, quem exercitui præficere volebat, tale munus effugit, dicens se cum talibus copiis nihil aliud nisi certam cladem infamiamque collecturum. Quæ quum ita essent, cardinalis Didacum de Vera, insignem præfectum tormentorum ad se vocavit ; qui, ductu et auspiciis Gundisalvi Cordubensis stipendia

1. Vide Litteras Ximenii, vicesimo quinto die aprilis anni MDXVI scriptas, quæ a *P. Gayangos* et *V. Lafuente*, p. 112, publicatæ sunt.

2. Has litteras in *Memorial historico*, vol. VI, p. 443, invenies.

fecerat et in bellis adversus Mauros, annis MDIX et MDX, magnam famam consecutus erat. Ei mandavit ut copias congregaret quibuscum proficisceretur potiturus Icosio et Gilva, et, sine dubio ut consilium expeditionis a Carolo rege magis probaretur, fama vulgata est eum postea Neapolitanum regnum pacaturum esse [1]. Quod si in præsens paucas facultates habebat, tamen urgebat necessitas.

Die decimo octavo mensis augusti Carthaginem Novam devenit Didacus de Vera, et, nulla mora adhibita, cursorem in Africam misit qui defensoribus castelli Peñon proxima auxilia promitteret et ad congressum colloquiumque veniret cum filiis Selim-Eutemi et cum rege Cartennarum, Muley-Abdallah, qui cum Horuscio inimicitias gerebant. Navem quoque misit Oranum ad aliquot bellica tormenta quærenda, tanta inopia eo tempore urgebatur Hispania! Interea cardinalis, cum milites non haberet, voluntarios excierat. Rure egentes homines venerunt stipendio allecti (quamvis exiguum esset, quippe quotidie decem *maravedises* viritim se daturum pollicitus erat cardinalis) et spe grandis prædæ. Die vicesimo quarto mensis augusti jam mille et trecenti aderant et mille alii ex provinciis Murciæ, Lorcæ et Carthaginis Novæ exspectabantur; sed quam festivi milites! Plerique enim nunquam stipendia fecerant et armis indigebant; ii qui melius procincti ad pugnam erant, modo gladium gerebant; iter facientes domos diripiebant. Carthagine Nova multum abfuit quominus satis cibariorum, pulveris et armorum reperiretur; triremes sale onerabantur, ceteræ naves exarmatæ erant. Quapropter Didacus de Vera duo millia hastarum, lanceas, pila et nonnullas fistulas ferreas, quæ *fusils* vulgo nominantur, Valentiæ emi jubet. Eodem tempore navis quam Oranum miserat revertitur, aliquot tormenta referens, ex quibus plura ad lapides mittendos idonea erant. Devenit quoque dux clarus Joannes de Rio classiculam instructurus. Jamque mensis septembris

1. Cujus facti unus auctor est, sed is maxime fide dignus, Alvarez Gomez, op. c. f° 179 v°.

aderat et litteræ ex Icosio missæ res hispanici præsidii in majore discrimine versari Ximenium docebant, cum Barbarossa oppidum muniat et magis timendus fiat, adeo ut quidam ex centurionibus castelli Peñon opus esse novem aut decem millibus armatorum censeat, ut res bene succedat. Attamen Carthagine nova vix duo millia militum ad signa se aggregaverant et infelix Didacus de Vera frumentum, pecuniam, tormenta poscens instabat; naves quæ exercitum traducerent nondum advenerant. Die decimo sexto ejusdem mensis Joannes de Rio rationem expeditionis mittit Ximenio, in qua classem tredecim cujuscumque magnitudinis navibus et circiter quadraginta cymbis, constare dicit; nuntiat insuper jam mille homines naves conscendisse, duo millia brevi conscensuros esse et expeditionem primo insulam Frumentariam ituram, ubi portum tenebit, donec advenerint nonnullæ cohortes a bello navarrensi regressæ. Rebus ita dispositis, classis circiter diem vicesimum septembris profecta est [1].

Si quis quanta egestate tunc laboraret Hispania cognitum non haberet, profecto miraretur cardinalem, qui cum tanta prudentia Orani obsidionem paraverat, tam negligenter milites quos contra Icosium mittere in animo habebat instruxisse. Forte, quamvis litteras ex Icosio missas ei tradidisset legendas Didacus de Vera, Horuscium putabat non esse eum quem formidaret. Haud scio an potius animo habuerit, ut scriptores nonnulli ejus æquales suspicati sunt, cum talem exercitum in Africam misit, a peninsula multos seditionum fautores amovere potius quam Icosium sub imperium populi hispani subjungere. Denique de numero armatorum procul videtur erravisse; etenim in epistola ad Lopez de Ayala scripta eos septem millium numerum explere dicit et sperat fore ut alii

1. De classis exercitusque rebus multa docent litteræ a Didaco de Vera et Johanne de Rio scriptæ, quæ in libro *Memorial historico español* signato p. 444-480 inseruntur; nusquam tamen quam multi militaverint vere dicunt et ob eam causam scriptores de ea re certant. Litteræ Berengarii Doms, classis præfecti, quæ in Appendice nostro primum in lucem prodeunt, inopiam omnium rerum illustrantes, numerum militum multo fuisse minorem quam vulgo creditur declarant.

voluntarii adveniant paulo post in Mauretaniam trajiciendi. Certum est tamen eum non fefelisse quantulum Hispania classe valeret, quippe epistolæ quam de tanta re ad Carolum regem ipse scripserat alludit, in qua nullum regem terra multum pollere posse nisi quoque mari valeat dicit [1].

Classicula, cui præpositus erat Didacus de Vera, in sinum Icositanum die tricesimo septembris pervecta est et excensum est navibus in ea parte littoris quæ ab Oriente sole patet. Mauri, qui dudum hostem exspectabant, omnia ad resistendum paraverant et turmas indigenarum undique arcessiverant quæ multitudine sua urbem implebant; corpus Horuscii sexcenti Turcæ delecti custodiebant; tribulei ferrei per campum disseminati, scrobes quas levibus virgultis et arundinibus contexerant infossæ, insidiæque cujusque generis aditum oppidi impediebant. Didacus de Vera de ratione oppugnandi cum Nicolao Quint aliisque tribunis concilium habuit, in quo graves controversiæ ortæ sunt, et, spretis omnibus monitis, dux, cum milites suos ad oppidum invadendum prædæ cupiditate paratissimos videret, in quatuor partes exercitum divisit, sic in officio melius contineri posse ratus, ut a quatuor item cœli regionibus Icosium adorirentur. Ita Hispani oppidum quadripartito aggrediuntur; portas inveniunt apertas, sed cum punicas insidias metuerent, scalis admotis, murum ascendunt. Quorum primi circumventi et capti uncis manibus quibus pinnæ armatæ erant suspenduntur; ceteri in fugam vertuntur. Tunc irruit Horuscius cum equitatu et Turcis; undique Christiani diffugiunt et eis Nicolaus Quint auxilium celeriter ferre cogitur. Tormenta, navibus educta, quibus instructum erat castellum Peñon, Horuscium prohibuerunt quin Christianos fugientes persequeretur. Infelix Joannes de Rio, fortissime dimicans, occisus erat; sed Didacus de Vera ejusque filius totum diem in scopulorum cavernis prope littus delituisse dicuntur. Pars maxima copiarum perierat. Die tertio novembris, cum fusi fugatique exercitus reliquias collegisset et naves conscendis-

1. Hæc epistola a P. Gayangos et V. La Fuente, p. 125-135, publicata fuit.

set in Hispaniam reversurus, dux ea tormenta quæ in castello disposuerat revehere voluit, at castelli præfectus summa vi se id passurum negavit, eum imperitiæ incusans, et ad servandum castellum, quod rex sibi commisisset custodiendum, necessaria esse ea tormenta clamavit. Cum revertebantur, naves horrida tempestate jactatæ sunt, pluresque earum submersæ, et Didacus de Vera, qui non inglorius militiæ antea fuerat, in extrema vita contumeliose derisus est, quod a prædone manco victus esset [1].

Ximenius, audita ea clade, magnopere commotus fuisse non videtur, et quo modo nuntium acceperit his verbis refert Alvarus Gomez, qui ejus vitam scripsit : « Ejus rei nuntium Ximenius sub octobrem accipit, multa jam nocte, hominibus theologis de rebus sacris disputantibus assidens. Cum dictum esset cursorem ex Africa ad fores adstare, ut intromitteretur jubet, et postquam litteras ad se datas tacitus legit, sereno vultu circumstantibus dixit : Exercitus noster in Africa victus et profligatus esse nuntiatur; sed parvam jacturam fecimus; Hispania hominibus facinorosis et audacibus exhausta est. Et rursus ad quæstionem theologicam disputandam est conversus, qua absoluta, ad corpora curanda discessum est, admirantibus cunctis Ximenii constantiam et invictum pectoris robur, qui nullum animi commoti signum in re adversa et subita dedisset [2]. » Idem Ximenius in epistola quadam ad Carolum regem cladem multo minus magnam fuisse quam dicitur affirmat, nec mirum si talis turba hominum errabundorum qui inconsiderate collecti fuissent se avidiores prædæ quam gloriæ præbuissent ; deinde ad consilium quod semper meditatus est revertens, regem hortabatur ut exercitum institueret, qui tantummodo Hispanis in certum temporis spatium conscriptis constaret [3], nec moratus Ximenius manum admovet operi. Classiariis mercedem pactam deposcentibus

1. Alvaro Gomez, op. c. f° 18.
2. Alvaro Gomez, ibid.
3. Litteræ Ximenii, 22 die septembris anni M. DXVI scriptæ, a P. Gayangos et V. Lafuente, p. 159, publicatæ sunt.

jubet stipendium dictum solvi, et, cum naves longe detritæ usu ad navigandum non valerent, eas restaurari et rebus necessariis instrui mandat. Præterea octo naves actuarias nova forma et quæ *fustæ* vocantur armat, quæ littora Bæticæ provinciæ tueantur; jamque limitum præsidia armis et militibus communiverat. Ille vir clarissimus jure existimabat fore ut Hispaniæ, magna classe instructa, nulla causa esset cur a Turcis Maurisve detrimentum acciperet, et regem commovet, non semel, necesse esse ei qui terra dominari cupiat mari dominari, quod ad Hispaniam maxime pertinet. Brevi quam prudentia essent consilia cardinalis eventus ostendit. Etenim die vicesimo sexto julii anni MDXVI, triremes hispanicæ et nonnullæ naves quæ cum illis navigabant, in quatuor fustas Turcarum inciderunt, quæ, postquam utrinque acerrime dimicatum est, sexcentis infidelibus interfectis aut captis, deprehensæ sunt; paulo post, quinque aliæ naves, quæ ingentem Maurorum numerum vehebant, captæ sunt.

At Ximenio non satis erat Hispaniam ab incursionibus prædonum defendi posse; incolas quoque Africani littoris ad officium reduci oportebat. Clades enim a Didaco de Vera accepta non tanta erat ut studium et fiducia cardinalis frangerentur; tantummodo monebatur Icosii incolas alio animo esse ac crediderat, et Hispanis, ut id oppidum subigerent, majore exercitu ducibusque peritioribus opus futurum esse. Cum maxima pecuniæ inopia laboraret Hispania, cardinalis ad Summum Pontificem recurrere coactus, a mense novembri anni MDXVI consilium inivit petendi ab illo ut bellum sacrum profiteretur, et decumas, unde opes suppeditarentur, institueret. Die duodecimo mensis decembris, in epistola ad Carolum regem scripta, de hac re quid speret exponit, dicens fore ut « *una gran armata* » id est classis magna instrui possit. Ut Summo Pontifici suaderet necesse esse hoc bellum fieri, ad eum misit Benedictum Hurtado, qui cum pontifice multa collocutus ab illo edictum ad bellum sacrum facile impetravit. Præterea Leo decimus ad Ximenium epistolam scripsit, qua ei victoriam paulo ante ad Ebusum insulam gratulabatur, auxiliaque et incitamenta pro-

misit[1]. Quibus litteris redditis, Ximenius gaudio exsultavit et die duodevicesimo mensis martii anni MDXVII ad regem perlongam epistolam misit de bello adversus Infideles, qua eum orabat ut cum Summo Pontifice consilia communicaret[2]. Sed fortissimo illi seni non contigit ut opus quod paraverat peractum videret ; etenim seditiones quæ in Hispania in dies crescebant, negotia quæ illi ad administrandum regnum exhibebant Belgæ quos ministros consiliorum rex miserat, et imprimis inopia rei pecuniariæ impediverunt quin expeditioni parandæ operam daret, per totam æstatem anni MDXVII. Insuper septembri mense advenit rex ille quem tamdiu Ximenius Hispanique omnes videre gestiebant et qui erga Ximenium malevolo animo fuit. Paucis post diebus, mæstitia et annis confectus, vir ille præclarus, qui fautor bellorum adversus Africam fuerat Oranumque domuerat, vita decessit.

1. Hæc epistola, cujus prototypum in Bibliotheca Universitatis Matritensis servatur, ab Alvaro Gomez, f° 163, publicata fuit.
2. V. P. de Gayangos et V. La Fuente, opus sæpissime citatum.

CAPUT QUARTUM

De expeditionibus quas Ugo de Moncada in Africam duxit.

Rex Carolus, cognomine primus, qui, mortuo Ximenio, administrandam Hispaniam ipse suscepit, consilia cardinalis persequi minime in animo habuisse videtur; præterea ei volenti tempora obstitissent quominus ageret. Etenim in dies numerus factiosorum in Hispania crescebat, et graves motus, consternationis indicium, in variis regionibus oriebantur. Rex insuper, præcipue rebus Germaniæ Belgicæque impeditus, bellum contra Mauros omittebat, quod abhinc tot sæculis Castellani reges pro munere a Deo assignato et a patribus suis tradito habuerant. Ultimis mensibus anni MDXVII et toto anno insequente epistolæ a rege scriptæ de rebus Africæ nihil memorant, ita ut consilium exsequendi operis quod paravisset Ximenius omnino abjecisse animo videatur.

At non ita res se habebat in aula Summi Pontificis. Etenim Leo decimus magno terrore imperium Turcarum in dies augeri videbat et arma Infidelium, sicut octavo sæculo post Christum natum, omnibus Christianis rursus imminere. In ea parte maris interni quæ ad orientem vergit Infideles fere undique dominabantur; in parte autem quæ ad occasum solis spectat strenui Turcæ prædones littora depopulabantur, et, cum Mauris societate facta, periculum erat ne brevi tempore isti mare mediterraneum, ut olim Romani, *mare nostrum* vocare possent. Ab oriente Summus Pontifex nuntios in dies graviores accipiebat et magis ac magis bellum urgebat. Jam tempus erat principum Christianorum discordiis finem imponendi, ut ad salutem Ecclesiæ et imprimis Italiæ omnes vires junge-

rent. Quod ut assequeretur, regibus Anglorum et Francorum et Germaniæ imperatori scripsit. Confidebat fore ut facilius etiam ad hoc bellum induceret Carolum primum, nam bellum adversus Infideles maxime intererat Carolo, cujus provinciis Italiæ, Siciliæque primum impendebant Turcæ; hispanicæ autem provinciæ maxime obnoxiæ erant Mauris, quorum incepta eo prosperius succedebant quo magis auxiliabantur Mauri qui in pæninsula Hispanica permanserant. Præterea providebat pontifex fore ut Hispani, odio immortali in Infideles accensi, cum maximo ardore bello incumberent. Ita perfici poterant prudentissima illa consilia quæ Ximenius inierat, cum Hispaniam pro rege administrabat. Quibus de causis Leo decimus, cum magnam classem instructurus et expeditionem paratus erat, quibus Turcarum Maurorumque audacia comprimeretur, maximam spem in rege Hispaniæ reponebat. Die duodecimo mensis aprilis anni M.DXVIII ad Carolum scribit eum monens « quum primus inter reges Europæ se ad bellum adversus Infideles paratum declarasset, eam expeditionem adhuc exspectari, quæ nunc maxime necessaria esset, cum Turcæ bellum omni ope pararent » et ad eum mittit legatum qui de tantis negotiis ageret; scribit quoque regibus Anglorum et Francorum, quos auxilium Christianis defendendis laturos esse confidit [1]. Legatus cardinalis Viterbensis, in curiis Cæsaraugustæ regem invenit qui operam suam pollicitus est. Attamen diligenter et summa vi rem gessisse non videtur, quamvis opportuna incidisset occasio et abhinc pluribus mensibus aliquid magni contra regnum Tremezenium tentare facile fuisset. Cum Horuscius, dux audacissimus prædonum, qui jam in ditione sua Icosium Cartennasque tenebat, hoc regnum subigendum suscepisset cum paucioribus militibus, facillime a Christianis oppressus fuisset et simul tota provincia, quam bellum civile debilitaverat, domita fuisset. Res fieri potuisse videtur, quia Orano ut forti

1. Hanc Summi Pontificis epistolam, quæ nondum edita esse videtur, in appendice inseruimus.

adminiculo Hispani uti poterant et insuper marchio Comarensis in mediterranea loca jam plures incursiones fecerat et penitus processerat; idem vir etiam clam multa cum quibusdam tribuum gentibus collocutus erat et cuidam ex iis qui Tremezenium regnum affectabant auxiliatus erat. Nec dubium quin marchioni copias tanto operi pares præstare satisfuisset; sed necesse fuit illi, cum militibus quibus jam præerat, paucissimis subsidiis acceptis, agere. Nihilominus vicit; Turcæ confligati sunt et Horuscius cum multis ex suis militibus in prœlio occisus est. Cujus victoriæ cum nuntius ad regem pervenisset, qui adhuc erat Cæsaraugustæ, ibi et in tota Hispania Deo solemnes gratiæ actæ sunt. Summus Pontifex ad Carolum scripsit, ei militum suorum victoriam gratulans; eodem tempore eum orabat ut victis instaret et Mauretaniam perdomaret [1]. At rex nondum acriter pugnare statuerat; insuper fere omnes in Hispania fore ut mors Horusci Icositanos in Hispanorum ditionem revocaret temere credebant; pecunia præterea deerat; quibus e causis nec æstate anni MDXVIII, nec hieme insequente, nec etiam vere anni MDXIX, quidquam ad bellum paratum est.

Attamen Barbari non erant otiosi. Mortuo Horuscio, unus ex fratribus ejus, nomine Careddinus vel potius Kheïr-eddin, regnum sibi adeptus erat et cum se in clientelam Turcarum imperatoris contulisset, ab illo subsidia magna et nomen *beglierbey*, id est ducem ducum, accepit [2]. Rex quoque Tuneti societatem cum illo imperatore inierat et periculum erat ne brevissimo temporis spatio Turcæ Maurique adversus imperium Caroli omnes suas vires conjungerent. Interea prædones sine ulla intermissione piraticam exercebant et hieme anni MDXVIII incursiones in littora Siciliæ regnique Neapolitani fecerunt. Vere anni insequentis, cum Mauri circiter quadraginta cymbas et quatuor triremes inter Tunetum

1. Hanc epistolam, quam typis mandatam nullo libro vidimus, in Appendice nostro invenies.

2. De hoc officio legendum est quod doctissimus de Grammont in libro : *Histoire d'Alger sous la domination Turque*, p. 73, illustravit.

et Gilvam haberent, præfectus Neapolitanæ provinciæ Raimundus de Cardona auxilia efflagitare coactus est [1]. Rogavit ut triremes hispanicæ mitterentur ad defendendam oram Siciliæ, etiam nunc male munitam, quamvis in præsidium ejus magna pecunia attributa fuisset. Eas triremes rex misit, ducibus Ludovico de Requesens et Ixart; sed dum illi Siciliam petunt, classis prædonum in mare Sardoum transiit, numero ad triginta duo fustas et quatuor triremes, multas hostium naves cepit et imprimis quamdam quæ ex Sicilia redibat frumento onerata, aliamque Carali venientem qua multi ex ejus urbis principibus vehebantur. Cum deinde Barbari iter flectentes cursum ad littus hispanicum tenderent, rex scripsit ut quam maxima celeritate possent triremes suæ redirent [2]. Sperabat enim fore ut junctæ cum triremibus Genuensibus prædones persequi et nonnullas eorum naves deprehendere possent. At delusa est spes ejus, quippe Mauri Baleares insulas et littora regni Valentiæ vastaverunt, et magnis subsidiis receptis non minus quam sexaginta naves habuerunt cum quibus in Africam regressi sunt, opima præda facta millibusque Christianorum captis.

Carolus qui tunc versabatur Barcinone, cum vastationis luctusque Hispaniæ maritimæ quasi spectator esset [3], otiosus permanere diutius non poterat. A mense junii jussit ut præsidia oræ Valentinianæ augerentur et turmæ equitum instruerentur, quæ celeriter eo se conferrent ubi necesse esset auxilium ferri, et præcipue portum Valentiæ, qui *Grao* dicitur, defenderent; multa etiam insuper ad oram defendendam præcepit [4]. Die secundo julii mensis Fadricum de Sancto

1. Fragmenta harum litterarum in appendice hujus opusculi videas.
2. Has litteras in appendice invenies.
3. « Cum rex solennibus Barcinone frueretur, in conspectu urbis septem fustæ Maurorum visæ sunt, quibuscum aliæ septem ducente Turca Halymexen paulo post convenerunt. Istos adversus prædones triremem quam mitteret nullam rex habebat: quod valde doluit, præsertim cum gloriæ cupidissimus esset ». SANDOVAL : *Historia del emperador Carlos V*, lib. III, cap. XXXIII.
4. Multas de hujus oræ defensione litteras scripsit Carolus, quæ in Bibliothecæ Academiæ historicæ Matriti codice A, 17, asservantur et quarum duas tantummodo epistolas in appendice publicare utile nobis visum est.

Olivete misit, qui Minoricæ custodiendæ operam daret, dicens se majora auxilia, quibus ab omni injuria Baleares insulæ tuerentur, parare. Rex enim tandem statuerat piratas aggredi et Africa potiri, misso comite de Cabra. Illi mandavit ut se Carthaginem Novam confestim conferret, ubi navem conscenderet, inde Frumentariam insulam profecturus; ibi cum illo se juncturus erat Ugo de Moncada, ordinis sancti Johannis eques, egregie factis suis adversus Mauros clarissimus, et secum ducturus veteranos hispanos qui nuper e Sicilia pacata redierant. Die decimo quarto mensis julii ad præsidem provinciæ Neapolitanæ rex scribebat, ut quam celerrime rem frumentariam qua opus esset compararet eamque mitteret seu Frumentariam insulam seu in portum Africanum, in quem antequam quinquaginta dies complerentur jam profecturus esset exercitus [1].

Sed bellum satis incaute, et celerius, et sine constantia paratum fuisse videtur. Etenim nusquam legitur comitem de Cabra Frumentariam ivisse vel cum copiis in Africam transiisse ; quibus in locum ejus, præfectus est Ugo de Moncada. Is profectus Aegusa, cum exigua manu circiter quatuor millium et quingentorum hominum se Carthaginem Novam recepit et inde Oranum transcendit; unde patet Hispanos non scivisse plane ubi cum Mauris congressuri essent. Ugo de Moncada aliquantulum in interiorem regionem processit; deinde, cum a præside Orani auxilium trecentorum militum lanceis armatorum accepisset, iterum naves conscendit et prætemavigans littus Mauretaniæ Cæsariensis, ineunte mense augusto Icosium pervectus est. Constat rem actam esse nimia celeritate, et haud facile inducimur ut mandata, quæ rex die decimo quarto julii dederat, confici potuisse credamus. Interea oppidum Icosium a Caredino magno tormentorum numero munitum erat, et præsidium, quocum se junxerant multi indigenæ, belli studio ardebat et ad sustinendum Hispanorum

1. Has epistolas, in codice A, 17 Bibliothecæ Academiæ historicæ servatas, in volumine XXIV, p. 264 et sqq. : *Documentos ineditos* invenies.

impetum eodem modo quo antea, adversus Didacum de Vera, intentum videbatur. Ugo de Moncada, quamquam numero copiarum longe inferior erat, tamen expertæ virtutis militibus confidens, oppidum oppugnandum esse censebat; at ceteris ducibus placuit exspectare donec advenisset rex Tremezenii, qui se cum magno exercitu auxiliaturum pollicitus erat. Quem cum frustra exspectavissent, et per dimidium mensem hostem hinc inde lacessissent, et cum de victoria desperaret Ugo de Moncada copias suas conscendere jubet, die vicesimo quarto mensis augusti. Nocte coorta est horrida tempestas quæ per totum diem fluctus commovit, et naves undis jactatæ, se inter se collidentes, submersæ sunt aut in terram ejectæ; quod triste spectaculum Hispani ex castello Peñon contemplantes, quia iis ferre auxilium non poterant dolebant. Rari milites qui nando littus attigerunt a Turcis trucidati sunt; procella tandem composita, Ugo de Moncada cum paucis navibus, maxima parte classis et militum tormentorumque amissa, cursum ad Baleares tetendit [1].

Commeatu auxiliisque receptis Frumentariæ, Ugo de Moncada cum octo triremibus profectus est Ægusam ubi se juncturus erat cum reliqua classe cui Didacus de Vera et Loaisa præerant. Consilium enim inierant subito aggrediendi Gilvam insulam, unum ex tutissimis piratarum receptaculis [2]. At hispanica classis, secundum littus Sardiniæ navigans, circa promontorium Sanctum Petrum, in classiculam Turcarum incidit, quæ una nave magna et duodecim fustis constabat. Acerrime pugnatum est; Moncada, cum multis e suis saucius, naves duas amisit; ceteras, quæ ex concursu navium maxima damna acceperant, in portum quemdam Sardiniæ abduxit, ut reficerentur; quo factum est ut expeditio omitteretur in insequentem annum Per totam hiemem in portu

1. De clade ad Icosium accepta et epistola Caroli regis et magna doctissimi *La Fuente* historia silent; narrationem nostram ex *Sandoval* præcipue hausimus.

2. Quod probatur litteris Caroli V segundo die novembris scriptis. V : *Documentos ineditos*, vol. XXIV, p. 270 et sqq.

Ægusa, Ugo de Moncada, Didacus de Vera et Loaisa cum maxima cura expeditionem contra Gilvam paraverunt, et dux, cum diu moratus esset, quia pecunia stipendiaria deficiebat et iniqua tempestas commeatus adventum impediebat, tandem potuit, die decimo quarto aprilis anni MDXX, imperatorem certiorem facere naves conscendisse [1]. Exercitus constabat sex millibus et quadringentis peditibus, quingentis et sexaginta gravis armaturæ militibus, trecentis et viginti expeditis equitibus, præter multos nobiles Hispanos et Italos. Numero naves erant quinquaginta quinque; at cibi vix in sesquimensem eis suppetebant et multis militibus tantummodo ultimis diebus arma a præside Siciliæ subministrata erant. Die sexto decimo aprilis, classis e portu solvit, et, cum ægre navigassent, juxta insulam advenit; cum mare adhuc turbatum esset, dies duos coacti sunt exspectare ut navibus egrederentur. Decretum erat ut castra ponerentur in loco nomine *La Rochetta* et ibi aquæ causa putei foderentur. Indigenæ autem, seu quia præter opinionem eorum res cecidisset, seu propter aliam causam, arcere ne appellerent non tentaverunt. Itaque Hispani, nullis obstantibus viris, minus tribus horis in littus descenderunt, sed per totam diem ventus impedivit ne equos et tormenta exponere possent. Die vicesimo septimo, adhibitis in consilium tribunis militum, Ugo de Moncada aciem instruxit ut interiorem regionem exploraret. Pedites divisi erant in tria agmina quæ mediocri interjecto spatio procedebant; turmæ equitum primum agmen et novissimum tuebantur. Cum novissimo agmine, quod præcipue Germanis et nobilibus viris constabat, erant tormenta et nonnulli equites levis armaturæ, inter quos ibat dux ipse. Cum jam iter facientes aliquot millium passuum progressi essent, minus cauti ab insidiis, in eo erat ut signa sustinerent, cum repente circumventi sunt a multitudine Maurorum quos in hortis palmetisque abditos primum agmen magnaque pars medii non conspexerant. Qui subito irruerunt hor-

1. *Documentos ineditos*, vol. XXIV, p. 274 et sqq.

rendis clamoribus feri et Christianos lapidibus obruentes. Minima pars eorum equis vehebantur; tabulas gerebant in quibus versiculi Corani inscripti erant; eos ad pugnam auguratrix quædam et moravitæ hortabantur [1]. Tantus fuit eorum impetus ut primum agmen retrocedere cogeretur et copiæ quæ anteibant in fugam verterentur; quorum exemplum secuta est pars medii agminis. Interea fit prœlium acri certamine: Itali et milites gravis armaturæ brevi fuga dant terga; equitatus, quamquam haud semel dux procurrere jubet, stat metuens. Quo viso, Ugo de Moncada cum centum et quinquaginta equitibus delectis, nobilibus aut legionariis in confertissimos hostes fertur: simul ita irrumpunt primi agminis pedites ut clades in victoriam cederet. Alii alio dilapsi sunt Mauri, quos cum equitatu dux spatium trium millium agitavit. At, nocte veniente, cum res frumentaria deficeret et insidias timerent, Hispani ab insectari desierunt. Hæc victoria quæ diu anceps eis steterat morte ducentorum militum inter quos multi nobiles empta est; saucii numero trecenti erant et inter eos præfectus ipse Moncada; creditur majorem numerum Maurorum occubuisse. Tertio post die, dux misit Santa Cruz cum trireme, qui in congressum colloquiumque veniret Mauri cujusdam, in proxima insulæ parte versantis et quo familiariter utebatur, de pace cum illo acturus. Cum jam in colloquia venissent et obsides inter se dedissent, res subito turbata est, quia servi duo qui e triremc hispanica aufugere potuerant, fratres suos indigenas ad bellum redintegrandum excitaverunt. A quibus aquatores subito oppressi ad quadraginta interfecti sunt. Tunc Ugo de Moncada statuit oppugnare castellum hostium, sed quum quatuor millia passuum Hispani progressi essent in interiorem regionem et jam iter periculosius videretur, constiterunt ibique castra munita posuerunt. Levibus autem certaminibus commissis, nonnulli milites de improviso agressi amissi sunt,

1. Homines quidam, sanctitate vitæ morumque insignes, qui gallice *marabouts* vocantur.

atque etiam castris potiri noctu Mauri conati sunt. Sed, cum auguratrix eis prædixisset fore ut vincerentur, animo debilitati, minus fortiter hostes adorti, in fugam conjecti sunt. Itaque iterum de pace actum est et fœdus junctum est ea conditione ut dux Maurorum omnes Christianos in insula captivos restitueret, imperium Caroli Quinti agnosceret, tria millia nummorum aureorum quotannis penderet, denique legatum ad pacem confirmandam in Hispaniam mitteret. Rebus ita compositis, die quinto mensis junii, exercitus naves conscendit, equites in Hispaniam redituri, pedites autem ut cum Ugo de Moncada Ægusam repeterent [1].

In Europa imperatoris victoria ad cœlum, quasi maxima fuisset, laudibus elata est; ipse solemnes gratias Bruxellis Deo egit et ducem Ugo de Moncada magnificis muneribus ornavit [2]. Hispani Gilvam captam celebraverunt perinde ac si omnes pristinas eodem loco acceptas clades ea victoria ulti essent. Prædones tamen nec sublati nec debilitati erant; Barbarossa contra ex hoc bello victor evadebat majoremque gloriam cepisse suis videbatur. Ne insula quidem Hispani potiti erant, nec castellum tenebant, nec præsidium reliquerant, adeo ut historiæ scriptori jure licet quærere nonne imperator Europam deludere et parva pecunia Summi Pontificis Hispanorumque votis obsequi voluit.

1. Cum hæc victoria pessime ab omnibus scriptoribus relata sit, vir eruditissimus, qui rebus navalibus Hispaniæ studuit, Vargas Ponce, litteras quas Ugo de Moncada imperatori scripsit perditas fuisse maxime dolet (*Doc. ined.*, t. XXIV, p. 300). Narratio a Perez de Nueros, classis numerario, scripta et quam in appendice publicamus, quodam modo locum narrationis ducis tenere potest et multa ignota refert.

2. De his rebus perlonga Caroli V epistola in *Documentos ineditos*, vol. XXIV, p. 292-300 datur.

CAPUT QUINTUM

De detrimentis Hispanicis regionibus ab Africanis prædonibus ab anno MDXX ad annum MDXXXIV illatis.

In proximo capitulo omnia comprehendimus quæ ad duplicem expeditionem Ugonis de Moncada adversus Icosium anno MDXIX et adversus Gilvam junio anni MDXX pertinent. Dum cum classe sua Mediterraneum mare percurrit, piratæ minime deterriti sunt a rapinis. Audacior factus clade nuper ab Hispanis accepta, Barbarossa, brevissimo post tempore unum ex suis legatis misit, nomine Hassan [1], qui cum quinque navibus oram Valentiæ vexaret. Is cum in amnem Ampostam ductus a Mauris illius regionis subiisset, urbem diripuit et magna præda potitus incolumis abiit. Paucis interjectis mensibus, cum Barbarossa Icosio pulsus in urbem Igilgili confugere et ad piraticam quam olim exercuerat ipse se referre coactus esset, secundum littus Sardiniæ navigans septem naves onerarias quæ frumentum vehebant, et aliam in maritimis Italiæ Genuensem navem cepit; postea in conspectu Gilvæ visus est et ibi classiculam suam auxit, adjunctis illustribus nonnullis ducibus inter quos erant Sinan, natione Judæus, Caredinus Cachidiablo, Salah-reïss et Tabas [2]. Piratæ vere rempublicam maritimam instituere ac componere videbantur, quibus summa peritia, maxima audacia, navalis apparatus quo nullus eo tempore melior erat et disciplina militaris strictissima victoriam plerumque dabat, quanquam sæpius

1. Is dux quem Sandoval Harzan vel Karthazan vocat, idem ac Hassan, qui postea Icosii præses effectus est, videtur esse.
2. *Sandoval*, op. cit. lib. III, c. XXIII.

major numero erat hostis, quo fiebat ut in omni tempore anni ex oris Italiæ Hispaniæque opulentam prædam multosque captivos auferrent.

Cum imperatorem possessiones suas tueri non posse plane pateret, legati Catalauniæ, Valentiæ et Balearium Sardiniæque, in curiis Barcinonensibus, mense januario anni MDXX statuerunt eum adjuvare ut oras defendendas omnibus rebus necessariis instrueret, et causam consilii sui exponentes in memoriam regis reducebant littora a Barbaris vastata et audaciam viresque istorum in dies crescentes. Petebant ut in ver proximum triremes armarentur, quarum trierarchi, a rege electi, sacramento se obligarent coram Patribus conscriptis ad oram defendendam fortiter, et tributum septem millium nummorum aureorum, id est plus dimidiæ partis pecuniæ qua opus erat ut armarentur triremes, se pensuros esse pollicebantur [1].

Quæ secuta sint hoc consilium nos præterit, at certissimum est, ab anno MDXX ad annum MDXXV Barbarossam prædonesque vastando Hispaniam maritimam perseveravisse. Imperator autem res maritimas omittebat, ut tantummodo in ea quæ gerebantur in continente animun attenderet, et ex Hispania profectus Europam percurrebat ut in bello adversus Franciscum primum socios regem Britanniæ principesque Germaniæ et Batavorum sibi conciliaret. Quum mense maio anni MDXXII in Hispaniam reversus est, multum aberat ut hæc regio tranquilla esset, etenim Majorica quoque a rege defecerat. Sub idem tempus triremes cum Ugone de Moncada in Italia erant. Optandum est ut olim sciamus quantam navium facultatem eo tempore Hispania haberet et haud dubium est fore ut in tabulariis Simancæ aut urbium maritimarum monumenta magni momenti de ea re inveniantur. Ex documentis quæ ad hunc diem edita sunt, suspicari possumus rem navalem Hispaniæ eo tempore minime prosperam fuisse ; nusquam videtur junctas fuisse multas naves, nunquam plures quam

1. Hanc deliberationem catalaunica lingua scriptam in appendice invenies.

octo. Etenim cum mare tenebant duo præfecti, ut annis MDXVIII et MDXX, unusquisque eorum præerat solum quatuor triremibus, et difficile credi potest numerum hispanicarum triremum per totum illud temporis spatium majorem fuisse quam decem, quæ plerumque male instructæ armatæque erant. Tanta erat negligentia principum ut vix intelligi queat; sæpe enim cibariis et pulvere tormentario carebant et adeo remis fatiscebant ut navigare non possent. In epistolis præfecti Ugonis de Moncada et Roderici de Portundo, annis MDXXIII et insequentibus usque ad annum MDXXVII, de ea re tristissima narrant, et assentire debemus auctori qui historiam rei navalis hispanicæ scripsit, dicenti : « Animadvertite quantum rem maritimam negligeret Carolus Quintus [1]. » Quæ cum ita essent, non resisti poterat Barbaris, et, Barbarossa audaciore et fortiore facto, Hispani detrimentum aliud super aliud accipiunt; præterea littora eorum assidue vastantur a prædonibus ; unum ex præsidiis, quæ in littore Africano possidebant, vocatum *Peñon de Velez de la Gomera*, a Mauris decembri MDXX expugnatur, quod frustra marchio Mondejarensis recuperare tentat, et quo utentes infideles ut refugio tutissimo ora Bæticæ populantur. Paulo post, Mauri Tingitaniæ castellum *Santa Cruz de la Mar pequeña*, unicum præsidium in Oceano hispanicum, capiunt, quo capto eis licet ut Mauris ceterarum regionum impune piraticam facere. Res Africæ terra marique gestas haud sæpe curat in literis imperator. Etenim ea tempestate omnia ejus consilia ad bellum adversus Franciscum primum et ad Italiam armis subigendam spectabant, cum clades a classe sua ad Salernum accepta, in qua occisus est Ugo de Moncada et quatuor ex sex triremibus ab hoste captæ sunt, eum subito admonuit necesse esse ut dicebat Ximenius, qui in continente dominari cupit mari plurimum valeat. Itaque statuit sibi conciliare illustrissimum Andream Doriam, qui classi optimæ præerat,

1. *Documentos ineditos*, vol. XXIV, p. 426.

et deinde septem triremes Genuæ strui jussit [1]. Attamen nondum in Africa mentem defigebat, quippe qui magnam classem ædificare vellet ut posset tutissimus in Italiam transcendere, ubi a Summo Pontifice insignia imperatoria Bononiæ accepturus erat.

Cum in eo erat ut Barcinonem profisceretur, ad eum accesserunt legati a præfecto castelli Peñon Icositani, qui eum admonerent præsidium aquæ, pulveris tormentarii frumentique inopia laborans, obsideri a Barbarossa et solum auxiliis celeriter missis liberari posse. Quos benigne et honorifice acceptos imperator promissis oneravit; ea autem breviter oblitus est [2]. Sed priusquam in Italiam profectus est, nuntius ei allatus est castellum Peñon fuisse expugnatum a Barbarossa, quanquam fortiter restiterat Martinus de Vargas, et portum Icosii Mauris apertum fieri, qui tutissimum prædonibus refugium et imperii formidandi caput futurus erat.

Paulo post tempore alius eventus ostendit quantum debilis esset res navalis hispanica et quantum aucta esset piratarum audacia. Precantibus Mauris Valentiæ, qui in Africam cum conjugibus liberisque suis transmigrare cupiebant, Barbarossa eo Cachidiablo, unum ex præfectis suis, misit cum undecim navibus; qui, nonnullis incursionibus factis juxta littus, fluvium Alteam die decimo septimo octobris anni MDXXV subiit, et, ductus a Mauris indigenis quos secum abduxit ad sexcentos, urbem Percent cepit et multos Christianos in servitutem abstulit. Tunc ex Italia, quo imperatorem comitatus erat, Rodericus de Portundo cum octo triremibus redibat; qui, cum certior factus esset in itinere totam eam regionem a Cachidiablo vastari, eum consectari voluit; at pirata, cum ejus classiarii et milites meliore disciplina uterentur, victoriam reportavit. Portundo fortissime dimicans occisus est et triremis qua vehebatur cum quatuor aliis capta est; una submersa fuit et duæ tantum aufugere potuerunt. Ita uno prœlio

1. Fragmentum epistolæ a legato imperatoris de ea re scriptæ in appendice publicamus.
2. *Sandoval*, op. cit. lib. XVIII, cap IX.

pleræque naves Hispanorum ad bellum instructæ amissæ sunt. Circiter mille Christiani multaque tormenta bellica, quæ Barbarossæ magnæ utilitatis erant, a prædone victoria inflato Icosium abducta sunt.

Audita clade et morte præfecti Portundo, maxime commoti sunt Hispani, ut suspicari licet ex epistola a præside Majoricæ scripta ad imperatricem, quæ absente marito Hispaniam regebat. Orabat eam ut quam citissime ejus detrimenti imperatorem faceret certiorem et juberet armari incolas littoris Valentiæ et Bæticæ, qui omnimo armis indigebant, quod vix fide dignum videtur [1]. Eodem tempore Mauri victoriis suis gloriabantur rexque Tremezenius, occasionem opportunam ad exuendum Hispaniæ jugum existimans, Oranico præsidio bellum denunciabat. Cum maxime nunc oporteret armis Africam invadere, ab extremo anno MDXXIX imperator id parare voluit [2]. Attamen dubium est quominus magni apparatus facti fuissent ante annum MDXXXI, in quo Andreas Doria cum circiter viginti triremibus missus est, qui locum exponendis militibus opportunum quæreret. Cum cursum ad Cæsaream direxisset, oppidum cepit et in libertatem sexcentos Christianos vindicavit; sed, cum Christiani ad diripiendum dispersi essent, Turcæ, ex arce in qua coacti erant confugere, subito egressi eos fuderunt et plurimos ceperunt, quo factum est ut Doria cogeretur ad naves reverti et fugam maturare, incensis antea duabus hostium triremibus nonnullisque fustis. Barbarossa prudenter usus est occasione; etenim non solum mirum in modum communivit Icosium, sed etiam instruxit classem duodecim navium, cum qua urbem Cullera in provincia Valentia cepit, agros vastavit, captivos abduxit sexcentos Christianos, et in Africam duo millia Maurorum ex Hispania cum uxoribus liberisque traduxit. In dies crescebat quam audacia tam potentia prædonis, ita ut Turcarum imperator eum arcesseret classi suæ præficiendum; itaque,

1. Hanc epistolam in appendice edimus.
2. Quod multis documentis probatur. V. : *Documentos ineditos*, vol. I p. 140-154 et *Revue africaine*, vol. XIX, p. 181 et sqq.

anno MDXXXIV, cum octoginta triremibus Barbarossa littus italicum a Rhegio ad Romam, deinde oras Sardiniæ vastavit, denique consilia diu agitata perficiens, provincia Tunetana potitus est. Sic littus africanum omne, ab Herculis columnis usque ad Tripolim, sub ditione sua tenebat et in animo habebat ex omnibus Barbarorum urbibus unum imperium classibus præpotens facere. Intellexit tandem imperator tempus esse summa vi agendi; præterea, cum tunc pacem haberet cum reliqua Europa, majore parte copiarum Hispaniæ, Italiæ et Germaniæ uti poterat.

CAPUT SEXTUM

De Caroli Quinti imperatoris adversus Tunetum expeditione.

Tunetum urbs a Barbarossa occupata in mente imperatoris renovaverat memoriam veterum detrimentorum et tot contumeliarum quas passus erat. Hoc bellum quod jam abhinc quatuor annos meditabatur, statuerat tandem gerere ita ut hostes, qui imperio ipsius ruinam minitabantur, destrueret aut saltem debilitaret. Itaque, a mense septembri anni MDXXXIV ad civitatum principes et ad urbes hispanicas scripsit ut Matriti in diem vicesimum octobris congregarentur curiæ, ut de ea re tanti momenti disputarent. Curiæ autem, ut id assequeretur necessaria non poterant non erogare, et die quatuordecimo novembris, imperator cupidus cognoscendi quomodo res se haberent in Tunetana provincia et quæ essent hostis copiæ, misit Genuensem quemdam, nomine Ludovicum de Presende, qui peritus erat linguæ morumque Afrorum, ut sub specie commercii in colloquium cum indigenis veniret. Is secum abducebat militem hispanum, nomine Didacum de Zamora, cum Melitensi quodam et alio Mauro, qui ambo in lingua arabica eruditi erant. Cum imperator parum sciret quæ Tuneti gererentur, Ludovico de Presende nihil certi præceperat. Qui diligenter cavere debebat ne nomine imperatoris agere videretur, at, dum mercaturas facit, perquisiturus erat quantæ essent copiæ Barbarossæ illique negocium importaturus, si fieri ullo modo posset. At præcipue ei præceptum erat ut conaretur in colloquium congressumque venire cum rege Tunetano, quem Barbarossa regno expulerat, et cum ceteris ducibus. Cum autem legati in Numidiam accessissent

Melitensis Maurusque aufugerunt, et Ludovicus de Presende et Didacus de Zamora in interiorem regionem penetraverunt, Maurorum habitu et solummodo noctu iter facientes. Ita tandem collocuti sunt cum Muley Hassen, qui olim rex Tunetanus nunc exsul Constantinæ vitam agebat [1], sed paulo post tempore delati a Melitensi Mauroque deprehensi sunt jubente Barbarossa et ad eum adducti, qui eos interrogatos sævus interfici jussit [2]. Carolus Quintus, qui breviter hujus miserabilis exitus certior factus est, alium legatum misit per quem cum rege Tunetano adversus communem hostem fœdus inivit [3].

Paulo tempore postquam Ludovicum de Presende miserat, imperator præcepit uni ex nobilibus cubiculo suo præpositis, nomine Ludovico de Avila, ut proficisceretur Genuam aditurus Andream Doriam, eumque percunctaturus quantæ copiæ necessariæ essent bello, quo tempore agendum esset aliaque multa magni momenti. Profectus est Matrito die undecimo decembris anni MDXXXIV Ludovicus de Avila eoque regressus est decedente februario, præcepta Andreæ Doriæ referens. Quis esset finis hujus itineris non evulgatum est; omnes tacere contra quem pararetur classis jussi erant et videtur verum imperatoris propositum nonnullos ex ducibus et rectoribus fugisse. Mense januario, imperator mandavit milites in Germania conscribi, et marchioni Vastio, Antonio de Leyva ceterisque Italiæ præfectis præcepit, ut quamplurimos possent viros colligerent cum armis, commeatu et omnibus rebus necessariis, easque copias transveherent in portum Malficum, qui est in Sardinia, exeunte mense maio

1. Quod probatur documentis quæ in *Revue Africaine*, volumine XIX, p. 493 et sqq. publicata sunt.

2. Sandoval, op. cit. lib. XXI, cap IX, quæ essent mandata a Carolo Ludovico de Presende data nos optime docet, ea ad litteram præbens, sed aliquid deest narrationi exitus legatorum. Quem autem particulatim enarrat miles ignotus qui historiam nondum editam de in Tunetum expeditione scripsit; hujus opus, quo sæpissime utimur, in Bibliotheca regia Matritense Ee, 85, signatum asservatur. De libro et auctore quædam in appendice expromere nobis non inutile visum est.

3. Cujus facti argumentum invenies in *Revue Africaine*, vol XIX, p. 342 et 494. Legato nomen erat *Anfran de Camugio*, qui a præside Siciliæ mandata acceperat.

vel maturius etiam si fieri posset. Quod ad marchionem Mondejarensem, provinciæ Granatæ præsidem, attinet, venturus erat Barcinonem intra finem mensis vertentis eoque adducturus omnes milites, equos, commeatus navesque quos contrahere potuisset [1].

Dum hæc jussa perficiuntur, imperator cum constituisset qua ratione administranda essent regna sua, quorum gubernacula imperatrici commisit, et testamentum suum dictavisset, Matrito profectus est ultimo die februarii mensis. Barcinonem advenit tertio die aprilis, ut ipse videret maturaretque apparatus; tota trepidabat civitas, quia jam militibus redundabat, et diligenter dabant operam in navibus construendis. Die octo et vigesimo aprilis in portum devenerunt magnificus *galio* cum viginti et quinque navibus ejus generis quæ *caravellæ* vocantur; hanc classem, qua imperator in hoc bello uteretur, rex Lusitaniæ miserat; devehebat plus duo millia militum, quorum multi nobilissimi erant, duce ipso regis filio qui paucis post diebus curso publico usus advenit. Primo mense maio venit Andreas Doria, cum viginti et duo magnificis triremibus, egregie ornatis, et quarum nonnullæ forma nova ex ejus consiliis constructæ erant. Die duodecimo maii Alvarus de Bazan, præfectus triremum hispanarum advenit cum decem navibus; præterea in portu erant quinque triremes nuperrime immissæ multæque naves onerariæ. Tantos sumptus ut sustineret, imperator aurum argentumque signabat; omnia insuper vel minima inspiciebat et illis qui morabantur epistolis instabat. Die quarto decimo maii copias præsentes recensuit universas; præter milites a principe Lusitano, Doria et Bazan adductos, congregati erant solum mille et ducenti ferreis fistulis aut hastis armati et multi proceres vestibus splendidis ornati. Imperator, cum optimates qui sex millia equitum suppeditaverant recensuisset, allocutus est amicos suos. Usque ad hunc diem eos celaverat et finem expeditionis et nomen ducis; at tunc expandens vexillum, in quo effigies Christi acu-

1. Sandoval, op. cit., lib. XXII, cap. I.

picta erat: « hic, ait, dux vester erit et ego signum ejus feram ».

Paucis diebus post, cœperunt conscendere navem. Die vicesimo quinto maii, imperator e culmine Montis-Jovis adventantem marchionis Mondejarensis classem lætus prospiciebat, quæ quinquaginta quinque navibus magnis constabat et quadraginta duobus parvis et octo millia et trecentos pedites et sexcentos equites in Hispania lectos advehebat. Eam Bernardinus de Mendoza cum classicula sequebatur. Jam proficiscendi tempus aderat. Postquam imperator, rheda vectus, in templu celebre, quod in Monte-Serrato exstructum sub numine virginis Mariæ quotannis tanto fidelium concursu lustratur, ut preces Deo adhiberet pro exercitu iverat, die dominica maii mane tuba signum dedit proficiscendi. Tanta multitudine redundabat civitas, ut per vias et compita dificillimum esset meare. Imperator, missa in templo Sanctæ Mariæ maris audita, ascendit triremem Andreæ Doriæ, cui nomen erat : *La Bastarde.* Die insequenti, mane tota classis e portu solverat, caravellis Lusitanorum in primo agmine navigantibus et in novissimo triremibus Alvari deBazan et Andreæ Doriæ cum imperatore. Cum venti adversi aut malacia classem nonnullos dies tardavissent, se receperunt Alcudiam, deinde in portum Magonis et denique Malfico, die veneris undecimo junii. Italica classis eo abhinc paucis diebus jam advenerat, cum quinque millibus veteranorum hispanorum ex Gallia cisalpina, Sicilia provinciaque Neapolitana abductis, quatuor millibus et sexcentis Italis, septem millibus Germanis, ita ut universus exercitus constaret amplius triginta millibus hominum ad pugnam instructorum, præter classarios ceterosque operarios servosque. Classis, quam tunc imperator recensuit, constabat nonaginta tribus triremibus, triginta una galeotis, quadraginta fustis et liburnicis, id est circiter centum et quinquaginta navibus mari pugnaturis ; naves onerariæ erant trecentæ, præter piscatorias cymbas [1]. Nunquam antea col-

1. Imperator in litteris suis trecenta solummodo vela indicat; sed omnes historiarum scriptores, inter quos testes quidam qui aderant, amplius quadringinta fuisse consentiunt.

lecta erat tanta classis, tam bene instructa omnibus rebus necessariis, et cujus cum duces tum milites exercitatissimi bello erant. Etenim imperator summam diligentiam et vere mirabilem curam ad eos apparatus adhibuerat. Die dominica tertia decima junii, in consilium convocatis principibus ducibus eis præcepit ut, quod tempus et necessitas postulabat, militarem disciplinam admodum observandam curarent; deinde omnibus declaravit necesse esse parerent Andreæ Doriæ in omnibus rebus quæ ad classem pertinerent, Vastio in eis quæ ad exercitum spectarent. Die insequenti profecti sunt, quia diversis viis audiverant a Barbarossa magna parari ad defensionem; cupiebant eum opprimere priusquam eos apparatus perficiendi tempus habuisset [1]. Tempestate serena ventoque secundo usi, die martis prima hora littus africanum haud procul ab Hippone-Zaryto prospexerunt, et tunc imperator qui, ex ratione itineris quam usque ad eam diem secuti erant, in novissimo agmine venerat, petiit ab Andrea Doria ut cursum triremis suæ accelararet et iter præcepit. Porto-Farina cognoverunt et notaverunt in turre insulæ Zembrano editum esse ignem, qui adventum Christianorum Mauros admoveret, aliosque ignes in montibus accensos eum nuntium per regionem totam disseminare. Cum frustra Porto-Farina exscendere conati essent, ubi triremis imperatoria imum mare tetigit, iverunt ut tuto essent ad promontorium Carthaginem, dum marchio Vastius cum viginti et duo triremibus quinque millia amplius ad meridiem ad Goletam explorandam procurrit. Qui observavit hostes summa diligentia uti ut id oppidum communirent. Itaque, die insequenti, imperator, cum intelligeret opus esse celeritate, jussit copias excensionem facere. Quæ effecta est diebus quindecimo, decimo sexto

1. Fortasse non incassum advertam Sandoval, et omnes qui de rebus hispanicis scripserunt, videri persuasum habere Barbarossam opprimendum fuisse necopinantem, nisi commonitus fuisset a rege Franciæ. Equidem non negaverim arctissimis societatis vinculis Franciscum I et Barbarossam inter se conjunctos fuisse, sed hunc alia via monitum fuisse, multis de causis quas referre longius esset, existimo.

et decimo septimo junii, et quanquam venerunt nonnulli Mauri cum Hispanis procursatum, copiæ facile in terram egressæ sunt.

Barbarossa videtur non cogitavisse fore ut imperator ductu et auspiciis suis in bellum proficisceretur; attamen multum aberat ut fugam meditaretur, sicut Christiani facilius credebant. Etenim confisus firmitati murorum et fortitudini Tunetanorum, Tunetum urbem neglexerat, sed nullum munimentorum genus omiserat, ut hostes urbis aditu prohiberet, haud procul mari, in eo loco ubi lacus, in littore cujus insidet civitas, effluit in mare angusto freto quod vulgo Goleta vocatur. Ibi erat castellum multis tormentis munitum, quod defendebant Turcæ delecti, virtute nota, et prope castellum triginta triremes in aridum subductæ erant; aliæ autem viginti una, in urbem defendendam ut adjumento essent, in portu manebant. In ipso Tuneto multitudinem Maurorum, equites aut pedites, contraxerat.

Effecta est Christianorum expositio prope promontorium Carthaginem, triremibus et scaphis, et, ut supra dictum est, minime turbata tormentis Goletæ et nonnullarum turmarum equitum Numidarum procursationibus. Paucis horis dimidia pars peditatus in terram devenit et duabus turribus, quæ inter Carthaginem Goletamque positæ vocabantur Turris Aquæ et Turris Salis, potita est. Parvum quoque castellum, in ipso loco ubi fuit olim Carthago et unde in totam planitiem despectus erat, penes Hispanos brevi fuit; ibi erat aquæ copia in duabus citernis a Romanis ædificatis. E nonnullis villis nuper a dominis suis desertis exigua præda referta est, sed satis frumenti pabulique. Die insequenti, mediis ex olivetis, quibus tecta late patet planities, subito eruperunt multi Mauri qui clam venerunt et quosdam Germanos speculatores oppresserunt. Paucis momentis, si fidem adhibeas militi qui eis rebus interfuit, numerus eorum fuit quindecim millium equitum peditumque, et plurimæ mulieres, quæ sanguine Christianorum mortem conjugum aut liberorum ulcisci ardebant, inter eos dimicabant. Commisso acerrimo prœlio, in quo im-

perator suometipso corpore certamen miscuit, Mauri undique terga verterunt. Interea triremes Goletam tormentis muralibus verberabant et tota die fragor tormentorum aut crepitus audiebatur. Die insequenti, id est octavo decimo junii, imperator nonnullos Tunetanos, qui in prœlio capti erant, dimitti jussit, eisque varia dedit munera, dicens se non ad eos hostes venisse, sed ut eos liberaret a tyrannide Barbarossæ et in regnum suum eorum legitimum regem Muley-Hassan restitueret. Sperabat enim fore ut captivi, cum Tunetum regressi essent, incolas a partibus Barbarossæ detraherent [1]. Eadem die, exscensione perfecta, ædificari propugnaculum in isthmo quo jungitur Tunetum cum Goleta mandavit, ut impediret ne inter se auxilium ferre possent et justam oppugnationem ipse inchoaret. Interea triremes Andreæ Doriæ et arcis defensores missilia multa jactabant, parvo utrinque detrimento accepto, et in campo committebantur nonnulla certamina levia, ut ea prœlia quæ postea quotidie cum Mauris commissa sunt.

Non pergamus ad finem si particulatim referamus singula quæ in oppugnatione Goletæ acta sunt. Quæ enim in operibus omnium scriptorum, iique multi sunt qui expeditionem Caroli Quinti exposuerunt, inveniuntur. Imperator, ultimis junii diebus, accelerari curavit fossas et propugnacula, adeo ut appropinquarent circa centum passus ab oppido ; obsessi interea non permanebant otiosi, et ducibus viris acerrimis, Sinan Judæo, Cachidiablo et Petro de Guzman, hispano qui ad deum Mahumeti transierat, conabantur operibus hostem prohibere crebroque ex oppido erumpebant, ita ut, die tertiovicesimo junii, castellum, quod erat urbi proximum et quod cohortes italicæ custodiebant, expugnaverunt, et vix, magno negotio, a veteranis Hispanis Germanisque conjecti sunt. Duobus diebus post, vixdum satis clara luce novo impetu facto, imparatos adorti sunt munitores laboribus resolutos aut dormientes, multos occiderunt et castello potiti sunt ; sed tunc inter Christianos ad arma conclamatum est ; cohortes undique

1. Item recentius Galli Icosium aggredientes sperabant.

concurrerunt et Turcas cavere receptui coegerunt. Attamen, non fracti erant eorum animi, nam postridie ejus diei iterum castra aggressi sunt; at Christiani, cum vigilarent, eos acriter a vallo propulerunt usque ad muros Goletæ, ita ut per quoddam momentum temporis crederent in castris urbem esse captam. Dum autem obsessi ita se defendebant ea virtute cujus tot tantaque exempla dederant, Barbarossa sine ulla intermissione obsidentes lacessebat, in eos ingentem Maurorum vim immittens; singulis diebus prœlia levia inibant, et nonnunquam tota die non cessabatur ab eis; multis Christianis necopinantibus caput præcidebatur, etenim Barbarossa pollicitus erat se quatuor nummos aureos daturum omnibus qui ipsi caput Christiani cujusque occisi deferrent. Imperator pugnam manu fortiter capessebat, et sæpe coactus est inter primores cum equitatu suo in hostes invehi, ut cohortes pressas ac laborantes e periculo liberaret et ad egregia facinora facinoribus claris cohortaretur; quotidie insuper invisere fossas et castella, pro sua facultate providere ut staret disciplina militaris, operam dare ut vulnerati ægrique, quorum jam magna copia erat, curarentur et in omni tempore summam viri constantiam præ se ferre.

Spes quibus fretus erat imperator ab incipiente bello paulatim corruebant. Rex enim Muley-Hassan cum misisset legatos qui nuntiarent ipsum brevi tempore adventurum et pollicerentur auxilia, paucis equitibus comitantibus, obsoleta veste indutis, advenit, ita ut ille princeps nihil posset auxilii ferre. Accedit quod, quanquam in Hispaniam ab imperatore legatisque ejus epistolæ mittebantur spe plenæ, tamen in castris curis multis urgebantur; etenim, quamvis nonnullæ naves ex diversis Europæ regionibus venissent commeatum supportantes, jam annona facta erat rarissima. In tota planitie qua insidebat exercitus nihil reliquum erat quod comedere possent, parum aquæ et ea turbida, et siti ardebant milites eo magis quo flagrantior eo anno fuit æstas. Nimius sol interdiu et noctium frigus morbos effecerunt, et præter saucios quorum permagnus erat numerus, taberna-

cula quibus pro hospitalibus domibus utebantur militibus implebantur; denique aer, corruptus odore tetro ex multitudine cadaverum quæ insepulta jacebant humi, causa pestis erat. Præterea exercitus, variis populorum generibus compositus, disciplinam militarem non observaverat diu eodem studio quo primis diebus. Itali et Hispani inter se invidere, et quo postulabat tempus alii aliis ferre auxilium recusare; Germani, sæpius vino ebrii, duces suos non agnoscere ipsiusque imperatoris imperium detrectare, adeo ut auderet unus eorum, fistula ferrea armatus, ei mortem manu et voce minari. Quid plura? omnes opere munitionum fessos tædebat ejus generis belli in quo præclarorum facinorum haud sæpe occasionem nanciscebantur. Undique in castris mussitabant et conquerebantur et multi milites a signis discesserunt. Itaque imperator jussit ut transportarentur vulnerati et ægri in triremes quibus in valetudinaria Siciliæ traducerentur; eodem tempore mandata jussit severissima, ut servaretur disciplina militaris, et acrius institit operibus munitionibusque; statuit etiam cymbas armatis hominibus refertas in lacu collocari, ne Goleta ea via commeatum auxiliaque recipere posset; quod utilissimum fuisset, uti postea videbimus, sed ob malam voluntatem ducum militumque non potuit confici. Adde quod obsessi, cum viderent Hispanos jam accessisse prope muros, subito omnes eruperunt, et, quarto die julii, certiores facti per exploratores suos, qui astutissimi erant et castra hispanica facillime adibant, meliorem copiarum partem in Mauris per planitiem procursantibus rejiciendis detineri, audacter in castella irruerunt; at Christiani, licet inopinantes oppressi, acerrime restiterunt; omnes valde bellum conficere avebant et Turcas summa vi propulsos usque ad fossam urbis agitaverunt; ibi cum magno clamore auxilium et scalas ut ascenderent murum oppidi petebant et forte capta fuisset eo die Goleta; at scalæ non allatæ sunt, non satis auxilii mandatum et victores post pugnam summa vi pugnatam coacti sunt se recipere; iterum tunc Turcæ eruperunt ex oppido et in ea dimicatione acerrima interfecti sunt septingenti His-

pani, inter quos multi tribuni nobilesque virtute eximia. Attamen hac pugna Christianis demonstratum est Turcas non esse multo formidabiliores quam hostes cum quibus dimicare consueverant, et imperator ab eo die pro certo habuit se futurum esse victorem, si eodem tempore, undique et cum omnibus copiis suis Goletam aggrederetur.

Itaque a die sexto julii mandata in hunc modum omnibus qui classi et exercitui præerant dedit, et, diebus insequentibus, dum omnia parantur, Mauri qui incurrerant propulsi sunt; tandem die duodecimo, Carolus Quintus milites suos hortatus est, renuntians eis se cras oppugnationis signum daturum. Prima luce triremes et cohortes ordinantur ut Goletam tripartito simul aggrederentur; at mare subito inhorruit ita ut Andreas Doria admoneret imperatorem necesse esse occasionem exspectare opportuniorem. Die quartodecimo mensis, albente cœlo, triremum et castrorum bellica tormenta, quorum magna erat copia, spissa globorum ferreorum grandine muros Goletæ subruunt cujus defensores acri animo resistunt. Sex horas terra visa est moveri ob crebrum tot tormentorum jactum, quorum libratores qui aderat ipse Carolus hortabatur. Mox Goletæ murus, inter fumum et missilia corruit pluribus locis et visus est in duabus partibus disjectus, quarum una e regione maris erat, altera e regione campi. Christiani in triplici acie divisi procedebant, pone quos erat subsidiaria acies, et in campo equitatus omnis erat qui impediret ne obsessi possent accipere auxilia sive Tuneto sive Carthagine missa. Hispani Germanique per ruinas effracti muri intrepide transcenderunt, et, interfectis omnibus janissariis, quorum ne unus quidem fugit aut pedem retulit, breviter oppido potiti sunt, quod diripuerunt, sed ubi parum prædæ invenerunt nisi innumera bellica tormenta et magnam copiam ciborum. Plerique autem Turcæ et Mauri, cum jam viderent urbem in manu hostium esse, aufugere potuerant per lacum qui minime altus est, at multi ab insectantibus occisi sunt. Captæ quoque sunt multæ e triremibus quæ in aridum subductæ erant, sed aliæ quindecim e Goleta in altum egredi

potuerant et effugere in ceteros portus Africæ; itaque imperator nonnullas naves, duce Adamo Centurione qui Andreæ Doriæ cognatus erat, ad eas persequendas misit.

Carolus Quintus, Goleta potitus, quo nullum aliud præsidium utilius erat Barbarossæ, confestim adversus Tunetum arma inferre volebat ne ibi possent hostes negotium importare. Sperabat enim fore ut, cum ipse adveniret, Barbarossa jam in fugam profecto, urbs in ditionem veniret et Muley-Hassan, quem habebat comitem, tanquam regem acciperet; paratus erat ad eam diripiendam si resisteret. At imperator de proposito suo locutus non secundis auribus ducum militumque auditus est, plerique enim existimabant se jam satis fecisse cum magnam partem classis Barbarossæ destruxissent eique præsidium maximi momenti cepissent; petebant ut in Hispaniam reverti sibi liceret multas ob causas, penuriam aquæ cibique, inopiam vehiculorum ut transportarentur tormenta bellica per has vias asperrimas, calidissimos hujus æstatis dies, ægrorum ingentem numerum et incertam fidem quæ auxiliis a Muley-Hassan promissis adhibenda foret. Itaque ægre imperator aciem promovit et sine dubio non potuisset, nisi pollicitus esset se militibus traditurum eam magnam opulentamque civitatem, sive resisteret, sive in deditionem veniret, diripiendam. Dein curavit ut cibus et aqua omnibus suppeditarentur, et die vicesimo julii profecti sunt Tunetum, quæ civitas non distabat amplius duodecim millibus a Goleta; hanc custodiendam Andreæ Doriæ commiserat. Castra posita sunt prope ruinas aquæductus, quo aquæ uberrimi fontis a Zaghouan monte surgentis olim Carthaginem ducebantur; at meridiano tempore, cum flagrantissimus sol erat, Barbarossa subito impetum fecit: pulsus est et coactus se in urbem recipere. Aliud detrimentum in ipsa urbe passus est postero die, quod ejus spes ultimas peremit. Etenim sex millia captivorum Christianorum, eo jubente, in hypogæis arcis, quæ Kasba vocatur, inclusi erant, quos primo interficere omnes ad unum cogitaverat, veritus ne exercitui imperatoris auxilio essent. Cum a consilio tam sævo revocatus esset a Judæo Sinan, paulo

post ad primum propositum suum redierat; at hispanus quidam, christianæ religionis desertor, oriundus a Xerez, cognomine Mami, et cui Barbarossa maxime confidebat, captivos noctu certiores fecit de sorte quæ illis imminebat, et eos adjuvit in catenis suis rumpendis et carceris portis perfringendis, ita ut captivi, ducibus nonnullis Sancti Johannis ordinis equitibus, omnes Turcas quibus custodia eorum commissa erat interficerent et arce potirentur [1]. Quo cognito, Barbarossa ita destitutus arce in qua erant tormenta, omnis commeatus parsque gazæ, cum audiret uno tempore Hispanos suburbia intravisse, coactus est se fugæ mandare, secum avehens suos Turcas omnes, Maurorum ingentem numerum et quantum thesauri auferre potuit. Carolus Quintus primo credidit dolum esse quo Barbarossa allicere exercitum in insidias vellet; miles ille, cujus narratione sæpissime usi sumus, refert eum suis dixisse necesse esse eis, cum omnes civitatem intrassent, victoriam sequerentur donec civitas eorum esset, quia reportata victoria et occupata omni urbe eis liceret diripere sine periculo, civitatemque esse maximam et opulentissimam [2]. Frustra principes Tunetani magistratus ad Carolum venerunt in deditionem et petiverunt ut erga eos clementia et mansuetudine victor uteretur. Sed compescere milites suos non potuisset imperator; qui Tunetum intrarunt sicut in urbem vi expugnatam, trucidaverunt omnes homines quos habuerunt obvios, mulieres et pueros ceperunt, domosque diripuerunt. Per octo dies continuas omne vastatum est, et milites ubique, prout cuique libido erat, se gesserunt. Alii enim alio dilapsi sunt, voci ducum non parentes, nec vexillum curantes; furor cæcus et barbaries omnes rapiebat. Quorum de crudelitate satis erit hæc referre. Cum milites potiti fuissent domo quadam in qua coacervati erant multitudo vulneratorum Turcarum Maurorumve, medicum acciverunt designaturum eos qui sanari

1. Omnes scriptores duodecim millia captivorum in hypogæis arcis fuisse dicunt; relationem militis sæpissime laudati, quæ maxime versimilis videtur, sequi placuit.

2. Hoc factum in militis diario optime narratur. V. appendicem duodecimum.

possent et eos qui perituri essent aut mutili permansuri; illos servaverunt vendendos, hos autem extemplo mactaverunt. Alii cum ex permagna villa extra muros posita non possent extrahere mille aut mille et ducentos indigenas, interquos multæ mulieres et parvuli, villæ injecerunt ignem et commode omnes qui effugere conati sunt semianimes interfecerunt. Idem factum est ab aliis in templo quodam. Nequidquam tentes cogitatione complecti quantus fuerit tumultus et quam effrenata licentia; miles, cujus narrationem sæpissime sequimur et quem non crediderim auxisse scelera a comilitonibus patrata, mille refert horrenda eorum facta [1]. Tantus erat captivorum numerus, ut vili venderentur, quatuor aut sex nummis aureis viritim; mulieres quæ resistebant extemplo interficiebantur. Sæpissime Christiani de earum possessione inter se contendebant; tum Germani, Itali, Hispani manus conserebant, et plerumque, quum ad pactionem venire non possent, miseras mulieres de quibus jurgium ortum erat mactabant. Alphonsus Sanabriensis, historiarum scriptor, qui alia ac miles noster sed similia refert, mulierum ita trucidatarum numerum amplius decem millia existimat; captivos autem cujuslibet sexus et ætatis arbitratur fuisse ad duodeviginti millia, quem numerum ipse imperator in una ex epistolis suis declarat [2]. Mortui veste sua spoliati sunt. Cum Muley-Hassan, qui frustra imperatorem precatus erat ut parceret magnæ civitati, doleret, Hispani lacrimas ejus irridebant; quamplurimos potuit captivos miseros emit, cupiditate lucri motus, dicebant, ut illis libertatem magno revenderet; at nobis licet credere animum ejus, quamvis barbarus esset, commiseratione magis quam propria utilitate ad hoc incitatum fuisse [3].

1. Capitulos LVI, LVII, LVIII et LIXX hujus diarii longe totius operis optimos censeo.

2. Sandoval, aliique omnes qui post eum de hispanicis rebus scripserunt, de Tuneto direpto paucissima narrant. Litteris quibusdam imperator excusationem affert, fingens urbem tantummodo direptam fuisse quia parum benigne Muley-Hassan acceptus fuerat. V. : *Revue Africaine*, t. XIX, p. 260.

3. Apud Sandoval, op. cit., lib. XXII, cap. XLI.

Quæ ipsis Christianis incommoda talem rei gerendæ rationem consecuta sint brevi tempore apparuit; etenim millia cadaverum passim jacentia cœli tractus corruperunt, multique milites occisi sunt, sive a Mauris qui resistebant, sive a sociis suis in certaminibus quæ de cujuslibet rei possessione oriebantur. Cum imperator jussit eos egredi urbe, civibus fere exhausta et cadaveribus referta, milites inordinati vexilla sua aut duces jam non agnoscebant, et licentia, quæ in principio jam magna erat, augebatur ita ut futura erat Carolo Quinto victori causa multorum magnorumque negotiorum. Die septimovicesimo profectus, ivit Rades castra positurus, ubi ad finem mensis julii permansit et fœdus cum Muley-Hassan conscripsit, ex quo is imperatoris se clientem et vectigalem agnosceret et præsidium hispanorum relinquebatur quod Goletam occuparet. Die primo augusti regressæ sunt naves Andreæ Doriæ qui, cum persecutus esset classem Barbarossæ, nihil contra eam agere potuerat, ita ut audax pirata elaberetur denuo insequenti imperatori.

Interea Carolus consilium quod jamdudum inierat conficere conabatur; uti metu, quo Tunetum captum debuerat animos Barbarorum afficere, in animo habebat et expeditione adversus Icosium ducta victoriam absolvere [1]. Existimabat se societate regis *Kouko* regni confidere posse. De quo locutus est in concilio militari; at omnes ei objecerunt rei gerendæ pericula, æstum fervidiorem esse quam quem possent diutius tolerare copiæ, quotidie multos milites dyssenteria interire, aciem inordinatam inconditamque inopia frumenti laborare, et tandem, dixerunt, recordaretur cladem quam eodem anni tempore classis Ugonis de Moncada olim accepisset. Quibus de gravibus causis, atque etiam quia forte timebat ne gloriam quam sibi pepererat fortunæ committeret, et quanquam malebat victoria feliciter reportata ad Barbarossam conficiendum uti, imperator a proposito destitit. Statuit igitur ut equitatus

1. De quo argumenta invenies apud Sandoval, op. cit. lib. XXII, cap. XLV et in *Revue Africaine,* t. XX, p. 129 et sqq. Cf. insuper litteras quas in appendice quarto decimo publicamus.

in Hispaniam reverteret dum ipse in Siciliam et Italiam proficisceretur. Goletæ nonnullas naves reliquit et præsidium mille militum cum Bernardino de Mendoza duce collocavit. Ad Hipponem Regium, quam urbem Andreas Doria interdum occupaverat, conservandum sexcentos milites misit, quibus præerat Alvarus Gomez, cognomine *el Zagal*. Proficiscens imperator sperabat se posse in ditionem redigere oppidum Africam, quod indigenæ Mahediam vocant et quod magni momenti ei jure esse videbatur; at procella subito coorta classem dispersit, et triremis qua vehebatur Carolus in portum Drepanum confugere coacta est. Quod detrimentum non impedivit quin imperator et cum eo Europa deo gratias agerent et sperarent fore ut Barbarossa, copiis opibusque destitutus, quasi alligatus impeditusque animo frangeretur [1].

1. Multa de Caroli V adversus Tunctum expeditione documenta exstant, inter quæ primum locum tenent ipsius imperatoris ad suos epistolæ; harum plures in codice Bibliothecæ Academiæ historicæ, A, 44, signato, invenimus, sed quia aliarum jam a Sandoval publicatarum (nam litteras in eamdem pœne sententiam ad multos scribebat Carolus) simillimæ sunt, illas edere non studuimus; tres tantum in appendice præbemus, quæ non ab imperatore sed a quibusdam sociorum scriptæ, obsidionis historiam certissimam tradunt. Sed longe ampliora documenta nobis attulerunt duo inter Bibliothecæ Regiæ Matritensis codices, unus Ec, 85, signatus, alter cujus duo exemplaria exstant G, 65 et Y, 172, signata, quorum codicum in appendice descriptionem damus. Hoc ultimum opus, quod Alphonsi Sanabriensis est, Sandoval historiarum scriptorem non fugit; quem olim legentes, Tunetanum bellum longe ampliore modo quam illi mos est referre mirabamur, sed nunc Sanabriensis ignoto adhuc libro perlecto, fontem a quo Sandoval fere omnia percepit agnovimus.

CAPUT SEPTIMUM

De Caroli Quinti imperatoris adversus Icosium expeditione, anno MDXLI.

Balearium incolæ ludicris ignium spectaculis vacabant et lumina festa fenestris ponebant, ut victoriam apud Tunetum reportatam celebrarent, cum prospecta est in mari classis circiter quadraginta navium, quæ suo cursu ad Majoricam decedens, nocte appropinquante in conspectum Portus-Magonis venit. Confestim fama vulgatur in ea civitate ipsum imperatorem redire cum eis triremibus, etenim vexilla hispanica gerebant; itaque multi ex incolis cymbas propere conscenderunt, imperatorem salutaturi; at quantum delusa fuit eorum spes. Classis Barbarossæ erat, qui cum profugisset Icosium, ibi omnes copias suas congregaverat et denuo fortunæ in mari se commiserat. Paucis diebus oppidanos coegit se dedere, et cum octingentis captivis magnaque præda discessit [1]. Non poterat manifestius ostendere quantum abesset ut fractæ essent suæ vires. Quo facto, profectus est cum classe sua, ut littus Siciliæ popularetur et auxilia a Turcarum imperatore peteret.

Mox bello inter Franciscum I et Carolum V redintegrato et societate Turcarum imperatoris cum rege Galliæ arctiore facta, Barbarossa ad audacia consilia sua rediturus erat. Tum imperator inceptum mirum iniit devinciendi sibi peritissimi istius piratæ, cum quo ipse Andreas Doria æquis viribus congredi non audebat. Jamdudum antea hoc cogitaverat animo,

1. Hujus facti perlonga et optima relatio in ultima parte codicis sæpissime laudati, Ee, 85, signati, invenitur.

et tantummodo quia non accurate mandata a Carolo Ludovico de Presende data legerunt, historiarum scriptores, qui commercium imperatoris cum Barbarossa noverunt, primum ejus initium anno MDXXXVI fuisse dicunt. Etenim, ab anno MDXXXIV in extrema parte monitorum, quæ legato suo imperator dedit, dicebat : « Ita agens, si ex statu rerum et opportunitate temporis, intelligis fieri posse ut Barbarossa desinat tandem hostis esse nobis et possessiones nostras vastare, nobis necesse videtur offerre et promittere nos ei auxiliaturos et fauturos, ut imperio Africæ potiatur, et imprimis ea parte quæ ad occidentem vergit. Fieri quoque poterit ut ipse te roget quid nos facturi simus, si hoc ita eveniat. Itaque necesse existimo, de multis causis quas enuntiavi supra, ut accurate intendas animum ad ea de quibus acturus eris cum Barbarossa, consideres quæ ei fides adhibenda sit et cures imprimis ne decipiaris ejus dolis. Etenim spes nulla ostenditur fore ut ille cupiat tecum fœdus conscribere; at contra verisimile est eum, si conscribat, hoc facturum esse tantummodo quo facilius propositum assequatur [1]. »

Ea ratione rei gerendæ, de qua ineunda cogitaverat imperator anno MDXXXIV, et cujus assuetus erat qui conestabilem de Bourbon et Mauricium de Saxonia a suis partibus deduxit, duobus annis post nihil visum est ad componendam suam cum Barbarossa contentionem aptius. Idcirco Alphonsus de Alarcon ab imperatore, cum mandatis a Doria et Fernando de Gonzaga conscriptis, ad piratam missus est; e Parga ad eum epistolam scripsit vigesimo uno die septembris anni MDXXXVIII, et ut colloquium facerent locumque tempusque ambo dixerunt, nam Barbarossa ne Turcarum imperatoris suspicionem excitaret, tantum verbis de ea re agere volebat; at non pangi potuit fœdus. Barbarossa enim petebat ut imperator sineret eum dominatione totius Africæ septentrionalis potiri, quod autem imperator concedere non poterat, quippe qui societatem cum Muley-Hassan fecisset. Nec Barbarossa

1. Sandoval, op. cit. lib. XXI, cap. IX.

poterat induci ut classem Turcarum destrueret, sicut imperator postulabat. Barbarossa tantummodo videtur adductus esse ut classem suam quinquaginta aut sexaginta triremum jungeret imperatoriæ classi contra quoslibet hostes. Postea iterum ad colloquia ista ventum est, et numeratori Joanni Gallego mandatum est ut ea susciperet cum tribuno militum quodam et doctore Romero. Barbarossa cupidissimus videbatur societatis cum imperatore jungendæ; munera accipiebat et in dies conditiones pacis impetrabat a legatis commodiores; at sine dubio duplex erat et fortasse Turcarum imperatorem monebat clam Hispanos conari ipsum corrumpere. Utut sit ea res, anno MDXL, doctor Romero deprehensus est Byzantii, et cum in carcerem Septem-Turres conjectus esset, consuetudines quas jam abhinc tres annos inierant ruptæ sunt [1].

Ceterum per omne id tempus a bello incepto imperator et pirata non cessaverant. Icositani quidam, junio MDXXXVI castellum Oropesa, Castellon civitati vicinum, expugnaverant et in campis circumjacientibus prædam fecerant. Paulo post, Salah-Reïss in eamdem provinciam expeditionem magnam ducebat, dum aliæ Turcarum triremes cum Gallicis triremibus junctæ Baleares oraque Catalauniæ et Valentiæ vastabantur. Anno MDXLIX, Barbarossa ipse fortissimum oppidum Castelnovo in regno Neapolitano ceperat, et, anno insequenti, percurrens eam partem mediterranei marris quæ ad orientem vergit, classi Andreæ Doriæ imminebat eamque distinebat.

His contumeliis acceptis, imperator tamen, ut antea dictum est, cum famoso prædone de pace agere instituerat; at paulo post abjecta est omnis spes conciliationis. Subsidium igitur dedit Bernardino de Mendoza, qui cum quatuordecim triremibus classem piratarum profligavit, a quibus nuperrime direpta erat urbs Gibraltar, et maximam partem prædæ quam

1. Paucissima monumenta quæ de his secretis negotiis exstant vide in : La Fuente : *Historia general de España*, vol. XII, cap. xxiv; *Memorial historico*, in appendice voluminis VI; *Documentos ineditos*, t. I, p. 207-227.

auferebant recuperavit. Eodem tempore imperator ad consilium quod jam Tuneto expugnato inierat, id est Icosium expugnandum, reversus est, et anno MDXLI incipiente opes collegit et mandata undique legatis suis misit, sed mentem suam et vera consilia paucissimis et amicissimis solum aperuit. Vere illo multa insuper detrimenta Hispani passi sunt, et Barbari ulti sunt magnopere cladem superiore anno acceptam; populati sunt enim omne littus Bœticæ, et ceperunt multas naves inter quas duo *galiones* qui vehebant tormenta bellica, commeatum, pulverem sulfureum et stipendium præsidiis Mers-el-Kebir, Orani, Saldarum et Goletæ. Quæ ubi audivit imperator, qui tunc apud Belgas erat, mense augusto anni MDXLI, maxime iratus est, ita ut confestim proficisceretur in Italiam abducens quinque mille et quingentos Germanos milites. In animo habebat, nullo tempore intermisso, Icosium petere et hanc latronum speluncam evertere. At ejus frater, et papa, et Andreas Doria, et marchio Vastius et principes inter exercitus duces eum a tam temerario consilio deterruerunt, dicentes Icosium esse oppidum validissimum, ad quod defendendum omnes indigenæ ab extremis regionibus concurrerent, res omnes bello necessarias non posse eo anno comparari, et præterea, cum prope exacta jam ætas esset, mare futurum esse turgidum, et fore ut classis in summum discrimen adduceretur; saltem si, deposita omni cunctatione, expeditionem eo mittere vellet, præficeret ei unum e ducibus suis, nec ipse tantis periculis se objiceret. Imperator autem noluit eorum consiliis obtemperare, affirmans omnia paucis diebus parata fore, quia mandata dederat diu antequam proficisceretur a Belgis.

Quanquam multum institerat imperator, apparatus non ante mensem octobrem confecti sunt. Andreas Doria, et forsan invitus, præpositus erat classi et Ferdinandus de Gonzaga, Neapolitanæ provinciæ præses, legatus imperatoris erat qui terra pugnantibus copiis præesset. Ut olim in expeditione adversus Tunetum, ad Baleares omnes Hispanicas Italicasve copias congregandas præceperat. Die tantummodo

decimo mensis octobris imperator a Luca proficisci potuit cum triginta et quatuor triremibus et ducentis navibus, quæ vehebant sex mille Germanos, duce Frondsberg, quinque mille Italos, ducibus Colonna et Spinola, multosque voluntarios qui ex omnibus christianis regionibus ut hujus belli sacri participes essent concurrerant. Ventis adversis usa classis morata est aliquot dies in maritimis Corsicæ et Sardiniæ, inde summo labore Majoricam insulam petivit, ibique difficile conjunctio copiarum effecta est. Attamen triremes Siciliæ Neapolitanæque provinciæ advenerant cum centum et quinquaginta navibus onerariis, quibus vehebantur sex mille et quingenti Hispani, mille ordinis Sancti Johannis equites et legionarii, voluntariique multi, cum magno omnium rerum ad bellum apparatu. Et jam nihil exspectabant nisi triremes Hispanicas, quibus Bernardinus de Mendoza præerat, et exercitum quem dux de Alba in Hispania conscripserat. Balearium incolæ, quum gauderent eam expeditionem parari qua destrueretur illud refugium latronum, a quibus toties vexati lacessitique erant, decreverunt ut exercitui per totum obsidionis tempus commeatum gratuito suppeditarent. Fessus exspectando classem Hispanicam, quæ maxima tormenta et cibariorum maximam partem vehebat, imperator, actuaria nave missa quæ ei deferret jussa sua, ut recto itinere contenderet Icosium, ipse vela explicuit eoque cursum direxit, et die Jovis, vicesimo octobris, mane in conspectum Icosii advenit. Cum autem mare æstuaret et eventus Andream Doriam ceterosque duces verum providisse ostenderet, et omnes recordarentur sortem classium Didaci de Vera et Ugonis de Moncada, imperator in trireme sua concilium militare habuit. Difficile dici potest quomodo ibi res se habuerint; videtur tamen imperator declaravisse ea die se, abhinc aliquot menses, cum Hassan-agha, Icosii præside, per comitem de Alcaudete iniisse consuetudines, et sibi magnam spem esse fore ut propugnationem tantummodo simulans, ut suspicionem Turcarum vitaret, Hassan sibi urbem traderet, tandem se ea causa omnibus etiam contra

opinantibus impulsum esse ut expeditionem sine mora faceret. His rebus dictis, ut verisimile est, legatum ad Hassan qui de oppido tradendo ageret, misit. Si fidem adhibemus miræ Didaci Suarez relationi, cui concordat historiarum scriptor Marmol ex magna parte, legatus qui linguarum turcæ et arabicæ peritissimus erat et urbis gnarus, in arcem Kasbam sine cunctatione progressus est et petivit ut sibi Hassan liceret adire. Cui, cum soli ambo remansissent, locutus est de prima juventute Icositani ducis, nam Hassan Sardus erat natione qui ad cultum Mahumeti transierat, de fide patrum cujus omnino non poterat memoriam abjecisse, simulque collaudans magnanimitatem et munificentiam imperatoris, multa et pulchra pollicitus est si urbem sine dimicatione traderet. Cui talia dicenti, ut narrat ingenuus miles qui hæc omnia ordine exposuit, Hassan-agha aurem attentam præbebat, quippe qui videretur impeditus inter naturalem patriæ amorem et fidem erga Turcarum imperatorem, cui adesse debebat; hinc præmia magna quæ illi legatus proponebat, illinc mortis periculum cui obviam ibat. At tunc duces Turcarum præcipui qui modo audiverant legatum venisse, cum eis jus esset de rebus publicis cognoscendi, ingressi sunt; qui Hassan suspicabantur, ita ut ex his quidam, natione Hispanus et qui christianam fidem exuerat, ei directer diceret : « Quid secreti habes cum legato christiano hoste nostro ? Forte meditaris fœdus facere cum rege Hispaniæ, ut deinde illi ignave tradas eam urbem antequam eam obsideat. » Igitur Hassan coram Turcis coactus est se maxima ira summoque studio esse incensum fingere et legato superbe respondit [1]. Didacus Suarez, quamquam ignorat jampridem

1. In documentorum historicorum collectione quæ *Revue Africaine* vocatur, vol IX, p. 379-385 editæ sunt epistolæ Hassan-agha et comitis de Alcaudete, ex quibus aliquid noscimus de eis colloquiis ad pacem, quæ certum est jussisse imperatorem. Vir doctissimus *de Grammont*, in libro quem de rebus Icosii scripsit, dixit ea colloquia causam fuisse cur, cum omnes parum probarent, Carolus expeditionem gesserit, cur deinde comes de Alcaudete cum hortatus sit ad exsequendum opus etiam post classem destructam, denique quare Hassan posterius ab imperatore Turcarum auctoritate exutus fuerit.

tractatum esse de pacis societate inter imperatorem et Icosii præsidem, non potest non reprehendere incredibilem Caroli Quinti levitatem, et dicit : « Non debebat ita et in illo tempore publice legatum mittere ad Hassan ut ille oppidum ante pugnationem redderet; etenim ipse sua commoda morabatur et cum hoste sic commercium habens suspiciones omnium Turcarum excitabat. »

Utcunque se ea res habuit, Hassan-agha urbis defendendæ curam non omiserat. Etenim certior factus, ut aiunt a mercatoribus quibusdam Massiliæ et Telo-Martii, classem instrui Genuæ expeditionemque adversus Icosium parari, legatum miserat qui Barbarossam eo tempore in oriente de illo periculo commoneret; deinde exercitum suum recensuerat, qui constabat ex octingentis sexaginta quatuor prætorianis et quinque millibus Maurorum, fistulis ferreis aut lanceis armatorum. In tali tempore ad indigenas confugit et ad colloquium die dicto duces tribuum convocavit. Cum permulti convenissent eos allocutus est per interpretem, Benate nomine, et hortatus est ut sibi milites mitterent copiamque frumenti ad defendendum Icosium, cui christiani bellum inferrent. Eos dimisit plurimis maximisque muneribus prædaticiis ornatos; ii autem, qui primum non venerant, de munificentia ejus certiores facti, ei litteras miserunt et pariter munera acceperunt. Postea mo-

Cujus sententia omnino confirmatur relatione Didaci Suarez, quam in lucem vocamus. Sandoval, qui legatum paucis diebus post missum esse dicit, fere eadem verba ac Didacus ei tribuit, sed dubitationes Hassan et Turcarum adventum prætermittit; illius orationem superbam minarumque plenam refert. Scriptor nostræ ætatis, *Galindo y de Vera*, e codice quodam in Bibliotheca Academiæ historicæ servato, quem cum non accurate designasset reperire non potui, dicit Hassan ea verba fecisse : « Canis christiane, canis es inter canes fratres tuos; admiror te tantam superbiam præ te ferre, ut subigere hoc oppidum bellicosum velis eodem tempore quo tam turpiter fractæ sint vires tuæ oppidulis misellis..... Quod si tibi accideret ut dominus noster altissimus certior fieret insani incepti tui, brevi tempore in numero servorum ejus esses ; Æthiops quidam, Æthiops rudis, quem mitteret, ne decus armorum suorum deprimatur, facile te ad ejus pedes deducere posset. Ne plura, te hortor ut recorderis bis faciem vestram denigratam esse; deo æterno si placet, ea quæ imminent nihil aliud erunt nisi similis species earum quæ jam evenerunt. » Haud scio an illa oratio vere edita sit, sed africanum quiddam spirat, et cum quadam arabica lingua scripta historiâ congruit. Vide Basset, op. cit, p. 41.

rabitas delegavit, qui undique ad sacrum bellum Mauros hortarentur; simul, per exploratores cognito in eo esse ut classis christiana vela faceret, jubet glandes fundi, arma distribui et imperat ut triremes in portum se recipiant; captivos Christianos tandem, ne quod olim Tuneti evenisset faciant, in vincula conjicit [1]. Licet credere ea omnia parari tantum ea mente ut majus pretium a Carolo V ob defectionem suam exigeret, aut etiam ut posset, si hoc non consecutus esset, suspiciones Turcarum effugere. Qui et Icositani quoque se confidebant victuros esse, nam morabita quidam, qui olim eis clades a Didaco de Vera et Ugone de Moncada acceptas prædixerat, hodie Deum fluctus maris commoturum, qui christianos premerent, vaticinabatur [2].

Imperator, cum relationem legati audivisset, mandata dedit ut exscenderetur, dominica die, tertio vicesimo octobris, prima hora. Brevi exscensio effecta est in loco, qui distat duobus millibus ab Icosio ad orientem et qui Hamma vocatur; quanquam mare æstuabat et milites in scaphis fluctibus inundabantur, læti in terram evaserunt; aliquid quoque commeatus et pulveris et aliquot tormenta minora in solum exposuerunt. Indigenæ pauci in littore apparuerunt, quos breviter fugavere missilia e triremibus jactata, dum Hassan-agha de summa porta Bab-Azoun exscensionem effici contemplatur [3]. Interea naves ex Hispania profectæ, fluctu jactatæ, paulatim inconditeque adveniebant; jamque dux de Alba, Ferdinandus Cortez cum trireme sua thesauris Novæ Hispaniæ referta, comes de Alcaudete, Orani præses, aliique multi nobilissimi classi imperatoriæ se junxerant.

1. Hæc omnia unus christianorum scriptorum Didacus Suarez est qui nos doceat; idem fere dicit scriptor indigena. V : Basset, op. cit. p. 40.

2. Quæ et alia multa, optime Maurorum moribus congruentia, e Didaci Suarez relatione accipimus.

3. Didacus Suarez narrat quemdam Hispanum desertorem, Turcarum duci copias quæ exscendebant et in aciem instruebantur recensentem, dixisse : « Nullo modo tremendi sunt illi omnes, qui vestes aureas et arma insignia gerunt, sed si milites præsidiarios, candidis togis more Maurorum indutos vides, tum timendum est. » Veteranus ille Orani miles in commilitonum suorum laudem comminisci videtur.

De nocte Icositani eruperunt et paulum castra turbarunt; luce prima tandem rejecti sunt, sed Christiani multi in prælio perierant, quia Mauri sclopetis utebantur qui longius glandes emittebant; præterea illi fatigatione resoluti erant, quia vix somno se dederant. De die imperator misit duas cohortes, ducibus Alphonso de Sande et Ludovico Perez de Vargas, quæ Mauros insequerentur et jugo quodam quod imminebat oppido potirentur [1]. Deinde Carolus Quintus castra sua posuit non longe ab Icosio, ita ut Hispani in colle, Germani in lateribus collis, Itali inferius contra portam Bab-Azoun usque ad mare essent; eo modo pars Icosii quæ ad orientem spectat ab hostibus observabatur. Statutum erat ut deinde dux de Alba cum copiis hispanicis partem occuparet quæ ad occidentem urbis vergit et in qua parte porta quæ Bab-el-oued vocatur patet; simul Andreas Doria cum classe mari oppidum oppugnare debebat. Donec ea, quæ sic disposuerat imperator, confici possent, jussit interscindi aquæductus, qui aquam in urbem ducebant (quod satis supervacaneum erat, quippe tum erat hiems, in quo anni tempore cisternæ oppidanorum satis aquæ suppeditant), et fossas duci quibus collocarentur tormenta ad obsidionem. Eodem tempore pergebant exponere nonnullos equos, tentoria principum et aliquid commeatus, quanquam imber densissimus erat. Nocte oportuit vigilanter excubias facere et castra Italorum firmiore præsidio munire, quæ maximis periculis obnoxia erant. Cœlum autem magis magisque sævum fiebat et imber mixtus cum grandine spissa effusus est; itaque milites, fessi navigatione et quia duas noctes vigilassent, totis artubus contremiscebant. Qua occasione uti decreverunt Turcæ Maurique; eruptione facta paulo ante ortum lucis, magno cum silentio, necopinantes excubitores oppresserunt et interfecerunt; deinde horrendos ululatus edentes in castra Italorum irruerunt, tres cohortes profligaverunt ita ut terror quidam insanus exercitui inci-

1. Quo in jugo postea castellum exstructum est ab Hassan, Barbarossæ filio, quod nunc castellum imperatoris vocatur.

deret. Ut nuntiatum est de pugna concurrerunt equites Melitenses, et multis et claris facinoribus actis, impetum hostium ita sustinuerunt, ut Colonna et Ferdinandus de Gonzaga accurrere et copias suas restituere possent. Prælium atrox multorum utrinque cæde initum est; Christiani enim tantum gladio et mucrone dimicando utebantur, quia imber pulverem tormentarium madefecerat et tantummodo nonnulli veterani milites eum servaverant aridum. Ipse imperator dimicabat inter principes in sinistra parte aciei. Tandem Mauri se recipere coacti sunt, quos insecuti sunt usque ad mœnia equites Melitenses; qui ne ingrederentur post Turcas, Hassan jussit citius portas claudi, quo factum est ut multi Mauri occiderentur; eques quidam ordinis Melitensis pugionem suum fixit in porta, quæ, cum jam intraturus erat, clausa est.

At postero die tristissimum spectaculum se oculis militum obtulit; cæcias ventus qui violentus per totam noctem perflaverat prope destruxerat classem. Jam triginta naves ejectæ erant et vento magnos fluctus volvente naves aliæ inter se collidebantur; triremibus adverso vento cum summa vi remigantibus difficile erat non inverti; littus et summa aqua contecta erant ruderibus et millia cadaverum sparsa in ora jacebant. Procella sæviit sine ulla intermissione per viginti et quatuor horas usque ad diem mercurii, quo tandem sedata est, tertia fere vigilia exacta. In sinu Icositano tantummodo remanebant nonnullæ naves et triremes, quæ periculum effugerant. Centum et quinquaginta, ut narrant scriptores maxima fide digni, omnino perierant et a Cæsarea usque ad Rusucurru littus constratum fuit ruinis. Mauri, occasionem opportunam nacti, millia miserorum qui nantes conabantur mortem effugere mactaverant et opima spolia rapuerant. Fere omnia tormenta omnemque commeatum amiserant Christiani.

Ea terribili nocte, cum Icositani detrimento die accepto docti mœnibus egredi non auderent, nonnulli Hispani audacissimum consilium inierunt; meditabantur ut, cum silentes ascendissent muros qui contra ipsorum castra erant, arcem

Kasba repentino impetu expugnarent; at imperatori, cum licentia hoc tentandi petita esset, vitæ periculum adire tot fortes illos vires ob præcipitiora consilia non placuit. Doria insuper cum commonuerat hanc unam esse viam consilii qua reliquiæ classis servari possent, eas in tuto ponere circa promontorium quod Matifou vocatur. Quamobrem imperator decrevit ut eo omnes copiæ se reciperent. Exercitus enim jam nec frumentum nec commeatum habebat, et loca e quibus hostes deturbaverat retinere non poterat. Imbre densissimo, per amnes et paludes exundantes, effectus est receptus; iter facientes milites sine intermissione ab hostibus lacessiti sunt et totius exercitus salus tantummodo in virtute novissimi agminis, in quo imperator proceribus et equitibus Melitensibus exemplum prudentiæ, constantiæ et fortitudinis præbebat. Prope ruinas urbis antiquæ Rusguniæ, circa promontorium Matifou cum ventum est, imperator concilium habuit ut statueretur utrum ab incepto opere desistendum esset necne; plerique proficiscendum quam celerrime censuerunt; duobus viris tantummodo longe alia mens fuit; unus erat comes de Alcaudete, qui mirum in modum gnarus erat rerum africanarum. Eum verisimile est confisum esse Hassan urbem traditurum; præterea sine dubio factus erat certior potentem quemdam indigenarum ducem, Ahmed-ben-el-Kadi nomine, aperte in partes Christianorum concessisse, et se eis auxiliaturum ut Icosium expugnarent pollicitum esse[1] Alter, qui in bello permanendum censebat, sed non in concilio vocatus fuerat, erat Ferdinandus Cortez, cujus indomita virtus nulla clade frangi poterat; qui, cum manu militum delecta oppido se potiturum spondebat. Sed cum Doria diceret se multa et gravissima a tempestate metuere, imperator statuit proficisci. Milites ejus cum naves conscendissent, tertio die novembris,

1. Apud Didacum Suarez legitur oratio illius ducis ad subditos suos, paulo ante Caroli in Africam adventum habita. Cujus si relationi credis, Ahmed-ben-el-Kadi re ipsa venit tertio die post prœlium. Certum est eum amicitia junctum esse cum hispano Saldarum præfecto, et cum Abdallah, ultimi regis hujus civitatis filio, qui Christianus factus erat; constat etiam Ahmed-ben-el-Kadi classi Caroli Quinti, cum circa Saldas transiit, cibaria suppeditavisse.

postremus eam terram reliquit ubi tantam cladem acceperat. Quem adversa fortuna persecuta est; etenim, pluribus navibus amissis, diu coactus est in portu Saldis morari et solum die vicesimo sexto novembris Majoricam, et primo die decembris Carthaginem Novam devenit. Dimidiam partem haud minus classis perdiderat, quo factum est ut ex eo die Icosium inexpugnabile existimaretur. Tempus erat insuper imperatorem in Hispaniam reverti; nam Barbarossa, qui ad hunc diem agere nequiverat, seu, ut Suarez dicit, quod nuntium ab Hassan legatum a Christianis interceptum non accepisset, seu ut recens historiæ scriptor opinatur, quod insidiis quorumdam inimicorum suorum Constantinopoli detentus fuisset, mense novembri classem formidandam tandem deduxerat. Qui fugam hispanicæ classi interclusisset, ipsum imperatorem in maximum discrimen adducens, si maturius e portu solvisset. Constitit cum ei Carolum jam in Hispaniam appulisse nuntiatum est [1].

1. De contra Icosium infelice expeditione multi scripserunt, inter quos satis erit laudare Marmol, Villegaignon et Vandenesse, qui ejus participes fuerant, et historiarum scriptores Paulum Jovium et Sandoval. Multa insuper et digna legi, nostra quidem sententia, nobis præbuit Didacus Suarez, cujus de vita scriptisque in appendice breviter disserimus.

CAPUT OCTAVUM

De imperatore a bello adversus Africanos desistente.

Clade expeditionis adversus Icosium missæ graviter commotæ sunt nationes christianæ. Icosium inexpugnabile videbatur et Turcæ ferme insuperabiles armis ducebantur. Rumor etiam erat inter Batavos imperatorem undis submersum fuisse et Carolum quintum qui in publicum prodibat nihil esse aliud nisi statuam ejus simillimam[1]. Præterea auctoritas Turcarum apud infideles augebatur, et Icosium, de laude cujus canebant Africai poetæ, urbs fere sancta et propugnaculum Mahumeti sectatorum devenerat. Itaque Carolus Quintus, qui se in prœlio tam intrepidum et in adversa fortuna tam magnanimum præbuerat, sicut vulgus Christianorum animo concidit; qui in posterum nihil adversus Africam tentabit, etiam cum pacem habebit cum Galliæ rege, et cum, pacatis regnis suis, adversus Infideles omnes copias suas dirigere ei liceret. Opus igitur absolvimus quod agendum susceperamus, et satis erit paucissimis verbis dicere quanta fuerit imperatoris inertia quindecim ultimis annis regni ejus et quomodo res in Africa se haberent.

Cum clades christianorum undique Mauros ad bellum contra Hispanos gerendum inclinavisset, in regno Tremezenio graviter præsidiis Orani et Mers-el-Kebir instabant et societatem cum Turcis inibant. Fortissimus autem comes de Alcaudete, rebellione indigenarum opportunam occasionem ad cladem apud Icosium ulciscendam dari credebat, nedum

1. La Fuente : *Historia general de España*, t. XII, p. 217.

imminente periculo terreretur [1]. Itaque ab imperatore petivit ut sibi darentur copiæ quibuscum regnum Tremezenium perdomaret; at imperator, cum sententiæ ejus non assentiebatur, ei tantummodo exercitum colligere de suo et expeditionem periculo suo permisit facere, sed ei nec naves, nec viros, nec pecuniam, nec commeatum dedit. Quamobrem audax comes coactus est agere tantummodo cum opibus suis et cognatorum amicorumque, et januario mense anni MDXLIII profectus est. Expeditio ardua sed clara fuit, et sine dubio comes rem perfecisset, si ei necessaria subministrata fuissent; at cum, die vigesimo quarto junii Oranum venisset quæsiturus magna tormenta, quibus ei opus erat ad Turcas omnes e provincia expellendos, epistolam invenit qua ei imperator mandabat ut quam celerrime omnes copias, quæ in manu ejus essent, Barcinonem mitteret. Mœrore confectus, in Hispaniam regressus est et Carolum Quintum in Belgicam adiit, sed tantum exercitum quatuor millium hominum ab eo impetravit. Etenim imperatoris aures abhorrebat ab omni sermone de Africa. Eodem anno cliens ejus et vectigalis, Muley-Hassan, quem in regnum Tunetanum restituerat, coactus est ex eo iterum effugere, quia Turcæ Hadrumeto, Monasterio et Gilva potiti erant, et quia Barbarossa, cujus classis ad Nicæam expugnandam Gallis auxiliata erat, Tuneto minabatur. Muley-Hassan frustra ab imperatore auxilium precatus est ; itemque, anno MDXLVI comiti de Alcaudete nulla auxilia aut subsidia missa sunt, quanquam insignem cladem acceperat et Africanis urgebatur.

Eadem de rebus maritimis incuria usus est Carolus; ab anno MDXLI ad annum MDXLIX Salah-Reïss, Ali-Corso, aliique piratæ Icositani fere impune littus Bæticæ et Valentiæ populati sunt; commissa erat incolis sese defendendi cura. Ii autem, quanquam fortes erant animo, impedire quin prædones magnam prædam auferrent non poterant. Anno

1. De circa Oranum pugnationibus paucissima diximus, quia ad historiam imperatoris Caroli V parum spectant.

MDXLIX Dragut, alter Barbarossa nec minus tremendus quam prior, insulam Majoricam vastavit. Postea, cupidus perficiendi consilii quod inierat vir ille inclytus cujus succesor et hæres videbatur, regnum sibi in Africa constituere voluit, quod ipsi adjumento esset ad incursiones et ubi triremes suæ et præda in tuto essent. Ab anno MDXLVI sibi conciliaverat multos duces in insula Gilva et societatem fecerat cum rege Tunetano, Muley-Hamida, qui patrem suum Muley Hassan de regno vi dejecerat; paulo post, cum Andreas Doria cum omnibus triremibus Genuæ, Neapolis et Siciliæ eum persequeretur, callide e manibus ejus effugerat. Februario mense anni MDLI, in ditionem suam redegit Monasterium Hadrumetumque, et Africa urbe, quæ etiam Mahedia vocatur, vi potitus est; quam præsidio valido et permultis tormentis communivit. Cum potentior fieri videretur et esset, rex Tunetanus perterritus societatem adversus eum inivit cum præsidio hispanico Goletæ. Doria, Summus Pontifex et præsides Siciliæ et Neapolitanæ provinciæ intellexerunt fore ut Italiæ breviter impenderent maxima pericula, nisi imperio nascenti obstarent, et, cum nihil in Africam tentare vellet imperator, statuerunt expeditionem continuo facere, cum opibus et copiis quæ in promptu erant. Cum classis ab eis instructa esset, satis facile coegerunt Monasterii et Hadrumeti incolas Muley-Hassan ut regem agnoscere, sed, inspecta Africa, rati oppidum validius esse quam ut expugnari posset repentina aggressione, redierunt ut omnia longæ obsidioni necessaria pararent. De quo certiorem fecerunt imperatorem tantum modo cum omnia jam ordinata erant, et ejus responsum acceperunt cum jam iterum in conspectu Africæ erant. Eis scribebat Carolus Quintus cum, illo inscio hoc opus agendum statuissent, beneanimadverterent quantam rem suscepissent et conarentur ut bonas rationes de eo edere possent. Obsidio a duodevicesimo die junii usque ad undecimum diem septembris tracta est; multa millia Christianorum interfecti sunt et die expugnationis alii mille et quingenti desiderati sunt. Dragut, qui sub idem tempus oram Valentiæ vastabat, celeriter redierat et

frustra ex obsidione oppidum eximere conatus erat. Attamen expeditio, quæ a principibus Italiæ cum tanta cura parata fuerat, pauca consecuta est; nam Christiani quidem oppidum tenebant sed Dragut mari dominabatur, et, quarto anno post, quanquam de societate cum duce urbis Kairouan actum erat, ex arce Africa milites hispani deducti sunt. Interea prædo a vastatione littoris hispanici et italici non cessabat. Cum Christiani, fore ut oppressus necopinans in freto Gilva tandem destrueretur confiderent, quia fugæ exitum non habebat, triremibus per isthmum duobus noctibus effossam viam dedit, et ita, præter omnium opinionem, e manibus hostium evasit [1]. Paulo post Monasterium et Hadrumetum urbes recepit, parti classis imperatoriæ Turcarum præpositus est, et cum Sinan, qui omni huic classi præerat, frustra Melitam tentavit expugnare, at vastavit insulam Gaulon, et Tripoli urbe potitus est, quam olim a Petro Navarrense subactam imperator sancti Johannis equitibus defendendam dederat. Quod cum cognovisset Carolus Quintus magna tristitia confectus est; at eum alia detrimenta graviorque mæror manebant. Etenim non solum annis MDLIII, MDLIV et MDLV oræ hispanicæ a prædonibus barbaris, qui societatem cum Gallis iterum junxerant, vastatæ sunt, sed etiam die vicesimo octavo septembris anni MDLVI, alterum oppidum quod Petrus Navarrensis ceperat, idemque tutissimus in africano littore portus, Saldæ, a præfecto Icosii expugnatæ sunt. Imperator in iras exarsit in ducem præsidii ejus oppidi, Alphonsum de Peralta, et eum produxit in jus ante tribunal militare; infelix Peralta morte damnatus pœnas luit cladis, cujus princeps causa fuerat penuria omnium rerum, qua semper illud præsidium laboraverat, atque etiam, ut vere dicamus, incuria rerum africanarum quam in Carolo Quinto jam notavimus. Quæ tanta erat et tam manifesta ut cardinalis archiepiscopus Toletanus, cum imperatorem a bello adversus Infideles in perpetuum

1. De piratæ Dragut factis et Africæ oppugnatione Petrus de Salazar optima scripsit; in codice Bibliothecæ Regiæ Matritensis, V, 248 signato, quædam et digna legi documenta invenies.

desistere vidisset, meditatus est eadem facere quæ fecerat illustrissimus Ximenius olim, et petivit ut sibi committerentur Tripolis et Saldæ oppida bello recuperanda [1]. Die vicesimo sexto octobris, id est mense uno post amissas Saldas, imperator regnum Belgicæ et paulo post Hispaniæ regnum filio suo transmittenda abdicabat, et fatigatus animoque debilitatus in monasterium sancti Justi se recipiebat.

1. *Coleccion de documentos ineditos,* vol. XXXVIII, p. 570 et sqq.

APPENDIX

APPENDIX PRIMUS

Berengarii Doms classis praefecti ad cardinalem Ximenium epistolæ. Anno MDXVI.

Al. Excell^te^ Señor Cardenal de Espanya, governador de los regno(s) de Castilla.

Excellente Señor,

Una carta he recibido del secretario Calcena, en que me scrive que Vuestra Señoria me da culpa que las galeras no hizieron lo que devian hazer con las carraquas de Cartagena. Certifiquo a V. S. que si fueran....... veinte galeras, no pudieran mas hazer que hizieron estas quatro. Ja es dicho que va comigo, Señor, que de lo que no tengo culpa siempre me la dan; porque Vra Señoria no haya trabajo de leher mi carta, yo scrivo de todo ello muy largo al secretaryo Calcena : ell informara a Vra Señoria de todo.

Quando investimos las fustas de los turquos, rompimos mucha parte de nuestro palamento y de necessidad he hovido de venir aqui y dexar las galeras en Denia, para que los desta ciudad me den C. L. remos que tienen. La ciudad me ha dado ciento, que no tenya mas ; parto me a la hora con ellos. El secretaryo Calcena me scrive que V. S. manda que nos juntemos con la armada en Cartagena y vamos con ella; las galeras, Señor, estan muy abiertas y hazen mucha agua; con los encuentros que dimos y los espolones rompidos y el ynvierno que entra y passar golfo, mire V. S. que van a mucho peligro; pero si V. S. lo manda, hon que supiessemos perder nos en la mar, se ha de hazer el mando de V. S. —

Lo segundo, en las galeras no ay en todas quatro cien lanças ni una pica ni hun dardo ni cien saetas. Supplico a V. Señoria, que si havemos de ir, con correr volando mande proveher en Malaga para que se nos de todo y polvora que no tenemos ninguna. E Nro Señor guarde y prospere la excellente persona de Vra Señorya y plegue a dios que de aqui a seys meses le bese el pié. De Valencia a VIIII de agosto MDXVI.

De V. Exª muy humil servidor que las manos de V. S. besa.

Berenguer Doms.

Ejudem litteræ

Muy magnifico Señor,

De Valencia escrivi a V. S. y al pliego avia cartas para el Señor secretaryo Urrias. Suplico a V. S. me mande escrivir si las a recebido y si son ydas a la corte al Señor secretaryo Urrias. Por la carta que V. S. mescrivyo me vine luego a juntar aqui, en Cartagena, con Dº de Vera y pareceme que esta armada no sera tan presta como io querria, porque sabe V. S. bien que pasado el mes de setiembre no seria cordura que las galeras y fustas pasan golfos y io escrivo al Señor Cardenal desto. Suplico a V. S. que fable a S. S. y que m'escriva que si es caso que pasa el mes de setiembre, si quiere su S. que vaian o no, que por cierto las galeras ha menester muy grande adobo, que las posticas y muchos vacallares y los yous de proa y los espolones todo faze hazer de nuevo, o que nos hazemos mismo calafetar lo mejor que podemos. Suplico a V. S. que haga que nos envie aca pan que las galeras tienen necessidad dello y io no e querido yr a Malaga porque no diga el señor cardenal que yo huelgo de estar en Malaga y Nro Señor guarde la mañifica persona de V. S, le acreciente su estado. — De Cartagena XXIIII de agosto.

Muy cierto servidor de V. S. S.

Berenguer Doms.

Ejusdem litteræ.

Muy magnifico Señor,

. . . .

La armada parte por la mañana con ayuda de dios ; plega a dios dar nos buen viaje ; pareceme que ai poca gente, que no llegan a

cuatro mil ombres. Hasta aqui yo tengo las galeras muy mal proveydas de armas, que no tengo en ellas una sola lança; esperamos las de Valencia; creo que de aqui al cabo de Martin hallaremos la nave que tas traye y nuestro señor guarde la muy mañifica persona de V. S. con mucho aumento de su casa — De Cartagena XVII de setiembre muy cierto servydor de V. S.

BERENGUER DOMS.

AI PENDIX SECUNDUS

Summi Pontificis Leonis X Carolo I litteræ.

Accedit ad istam catholicam Majestatem nostro jussu dilectus filius noster Egidius H (sic) sancti Triphonis presbiter, Cardinalis noster et hujus sanctæ sedis de latere legatus. Accedit aut ob eam causam, ut fides nostra sanctissima, ex qua nostra æterna salus dependet, propter maximos apparatus impiorum Christi hostium Turcarum, quos contra eam et nos faciunt, in magnum periculum adducta, illius invictissimi Regis virtute atque opera defendatur. Quodque et Principes alii christiani omnes et ipse imprimis se promptos esse facere ostenderunt, ut sanctæ semper exspectatæ ab omnibus expeditioni adversus infideles initium detur, id tractetur cum ipsius Majestate et concludatur, quemadmodum tuæ quoque fraternitati notum et auditum arbitramur esse. Quin etiam predictum Cardinalem legatum propter ejus præclaras prudentiæ, doctrinæ, religionis et aliarum omnium virtutum dotes, nobis carissimum et probatissimum, maxime idoneum tanto muneri esse judicavimus; hortamur fraternitatem tuam in Domino ut in iis et aliis, quæ ille tecum nostro nomine communicarit, non nulla enim ei mandavimus tibi significanda, plenam et summam illi fidem habere, operamque et auctoritatem tuam, ubi requisitus fueris, interponere pro nostra et hujus sanctæ sedis gratia et rebus ad communem omnium salutem pertinentibus velis. In quo facies rem sua virtute dignam, nobis gratissimam. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris. Die XII Apribis MDXVIII, Pontificatus nostri anno sexto. — Sadoletus.

APPENDIX TERTIUS

Summi Pontificis Leonis X Carolo I litteræ, anno MDXVIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Summo gaudio nos affecerunt litteræ tuæ expugnationem arcis Tremezenii oppidi et mortem illius nuper maritimi prædonis, nunc terrestris piratæ Barbarossæ, tuæ Serenitatis auspiciis factam nunciantes, pro quibus non unam profecto nos neque simplicem letandi causam accepimus, nam et clarissimi nobisque et huic sanctæ sedi conjunctissimi Regis victoriam, et christianæ reipublicæ non mediocre comodum, sanctæque fidei catholicæ cui divina providentia presidemus dignitatem ab illa quidem parte retentam et auctam, animi nostri singulari cum lætitia accepimus. Jucundum et nobis quod illius impii latronis, qui tanta intulit fidelibus detrimenta, postquam ei aditum ad salutem et veritatem ipsius nefaria scelera præclusissent, fuerit a cervicibus Christianorum justissimo ferro depulsa crudelitas; quæ omnia sic accidisse tuæque Serenitatis optimum et animum et consilium, fortissimorumque et ducum tuorum et militum virtutem felicibus eventis a Deo donatam fuisse; et Deo ipsi omnipotenti gratias agimus et Serenitati tuæ toto animo gratulamur : quodque pluris quam omnia facimus, cum Majestas tua ætatis suæ et nunc adolescentis commendationem a tam illustris facti laude et gloria duxerit, certissimam spem tenemus te operam daturum ut semper ipse te superes, posterioresque anni tantos progressus faciant ad virtutem, ut omnibus apparent ea quæ nunc egisti a te esse suscepta quo majorum tuorum imitatione ostenderes, quæ vero posterius egeris ejusmodi fore ut nemo ea facile possit imitari. Cujus adipiscendæ immortalis gloriæ bellum illud sanctissimum maximeque necessarium, quod communi consilio in impios Turcas meditamur, occasionem opportunissimam offert nunc; in quam per Deum immortalem incumbe toto pectore, carissime fili, et cum veræ laudis gustum jam perceperis, perge eodem animo : nulla sunt neque acta clariora neque præmia præstantiora quam ea quorum jam particeps hac victoria factus es; his et gradus in cœlum construuntur et virtus æternitati consecratur : ad quam jam et viam et gloriam quoniam ingressus es, alias plura scribemus

Nunc ad propositum; nos pro illa eximia et paterna benevolentia qua Serenitati tuæ rebusque tuis omnibus favemus, cum præsenti tuæ laudi victoriæque gratulamur, tum majora et speramus. Dat. Romæ (etc) die XXI julii MDXIIJ. Id. Sadoletus.

APPENDIX QUARTUS

Ex Carolo regi Neapolitanæ provinciæ præsidis, Ramon de Cardona litteris februarii mensis MDXIX.

Que las dos galeacas de Venecianos que llevaron al embaxador de Tunez q. va al Turco passaron a los III del dicho mes; dizen que han dejado al dicho embajador en la Velona y que llevan un bel presente; dizen que llevan cinquenta donzellas y cinquenta muchachos con muchos cavallos y otras cosas en mucho valor; q. este cree que este embaxador de Tunez persuadira al Turco de levantarse con la barbaria contra el estado de su Mt.................

Ejusdem litterarum mensis martii anni MDXIX fragmentum.

De Berberia hay muchos avisos como entre Tunez y los Gerveses se armavan asta quarenta fustas y quatro galeras, y creese que son ya salidas o estan para ello, y pues V. A. vee el peligro en que estas marinas estan, supplico a V. A. si las galeras no fuesen partidas, las mande luego venir, pues vee V. M. el daño que se puede seguir no estando en estas mares.

Bibliothecæ Academiæ historicæ, Matriti, in codice A, 17 fii 143 et 148.

APPENDIX QUINTUS

Caroli regis Neapolitanæ provinciæ præsidi Ramon de Cardona litterarum fragmentum.

Ilustre visorey, lugarteniente y capitan general. Por diversas vias avemos escrito y mandado a D. Luis de Requesens y al comenda-

dor Icart, que, de donde quisiera que se hallasen al tiempo que les llegasse nuestro mandado, fuesen con las galeras que llevan a juntarse con la armada de Genova para ir tras las 32 Fustas y galeras de Moros que andan por los mares de Cerdeña haciendo muchos daños, e porque no savemos si antes de llegar a este regno avran recibido nuestras cartas, ya avemos escrito a la armada de Genova que juntandose nuestra armada con la suya comprehendan las dichas fustas ....
Barcinone, septimo vigesimo die maii MDXIX.

Bibliothecæ Academiæ historicæ, Matriti, in codice A, 17. f° 9.

APPENDIX SEXTUS

Caroli regis Minoricæ incolis litteræ.

Amados y fieles nuestros : luego que havemos sabido la nueva de las fustas de Turcos y Moros que han aportado a la ysla de Mallorca, nos havemos mandado proveher lo que conviene para la buena deffension destas nuestras yslas y entretanto que esto se pone en orden Mossen Fadrique de Sant Olivete, nuestro criado y governador desta ysla, acordandose de quien el es y de lo que los suyos han acostumbrado hazer en servicio de nuestra real corona, como buen cavallero, ha determinado yrse delante con nuestra licencia y buena gracia; encargamos vos y mandamos que, demas de le dar entera fe y crehencia en todo lo quel de nuestra parte vox dixere, le obedezcays como a governador y capitan general nuestro en esta ysla y fagays todo lo que el vos ordenara con la diligencia y esfuerzo que de vosotros bien confiamos; que no tardara a llegaros tal socorro y ayuda conque, dios mediante, estareys seguros de todo peligro y inconvenyente. Dat en Barcelona a dos dias del mes de julio del año M° DXVIIII° — Yo el Rey — Urreys Secret.

APPENDIX SEPTIMUS

Caroli regis Valentiæ provinciæ legatis epistola.

Diputados, sabido havemos la elecion de personas que por esta diputacion y por los braços y estamientos deste reyno se hizo para tratar la forma y manera que tenerse deve en fazer la gente de cavallo que vos escrivimos, a costa desse general para la guarda y deffension de las costas y marinas desse reyno, y segun somos ya informado, como quiera que los eletos para ello se juntaron algunas veces ; dizen que no se ha tomado apuntamiento ni conclusion alguna, para que se haya de poner en execucion, de que mucho nos maravillamos, porque siendo la necesidad tan evidente y tan propinco el peligro y el daño universal, no solo seria razon que de pecunias comunes mas ahun de las proprias y particulares contribuyese cada uno en el remedio dello y con la forma y seguredad por nos movida se deviera luego proveher sin dar lugar a otra dilacion ; e porque al presente no vemos ni se offrece otra dispusicion e forma mas facil e propia para socorrer a esta necesidad que la que scrito vos tenemos y sabemos que las fustas de moros que se fueron en Mallorca son ya vueltas a esta costa y otras muchas vienen y si luego no se provehe en guardar la tierra no se escusan grandes daños e ynconvenientes y a major conplimiento nos escrevimos a nuestros oficiales reales desse reyno que si el general pagase la meytad deste gasto nos contribuyriamos en la otra meytad y no de otra manera ; por ende vos encargamos mucho que vosotros por vuestro oficio y juntamente con los braços y estamientos deste reyno, a quien tambien screvimos, con toda presteza deys horden en fazer la dicha gente de cavallo y proveher lo que mas convenga para la buena guarda y defension deste reyno, segun que mas extensamente nuestro governador deste reyno hos hablara de nuestra parte sobre ello, al qual dareys entera fe y crehencia, poniendolo assi en obra ; que ciertamente con lo que scrito vos tenemos para la indemnidad vuestra y nos contribuyendo en la mitad del gasto como esta dicho, mucho seria des de (sic) culpar si por negligencia de vosotros se extendiesen en ese reyno los daños que estan aparejados. Dat.

en la ciudad de Barcelona dias VII del mes de julio del año mil y quinientos y diez y nueve — Yo el Rey — Urries Secret — Bibliothecæ Academiæ historicæ Matriti, codex A, 18 f° 68.

Caroli regis officialibus regiis Valentiæ epistolæ fragmentum.

De ayer aqua havemos sabido que han tornado en esta costa cierto numero de fustas de Turcos y Moros, y de diversas partes tenemos haviso que son mas de sesenta las que han salido de berberia para fazer daño en esta partes, por ende conviene que con toda brevedad y diligencia proveays lo susodicho y fagays havisar todas las tierras de la costa deste reyno para que no reciban daño ni se fallen desapercevidas, y de lo que alla se ofreciere nos dareys haviso por vuestras letras. Dat. en Barcelona a VII dias del mes de julio del año mil DXVIIII. Yo el Rey — Urries Secret. Bibliotecæ Academiæ historicæ Matriti, codex A, 18, f° 69.

Caroli regis Neapolitanæ provinciæ præsidi litterarum VIII mensis augusti anni MDXIX fragmenta.

Las fustas de Moros que salieron de berberia tambien han hecho algunos daños en estas mares y luego que tuvieron sentimiento de la armada que nos fazemos se han recogido y ha dias que no se tiene nueva dellas; crehemos que en llegando nuestras galeras, lo mesmo havran hecho en estas partes. Del navio que enviastes con bombardas y provision de polvora a la Pantamalea nos desplaze que lo hayan tomado ; lo mismo es de temer de los que enviastes a Tripol y Malta pues no teneys mas nueva dellos; fazed nos saber lo que dellos haveys sabido..................

....

....

....

....

E. porque muchas veces nos han scrito de otras partes que deste reyno se consiente sacar pan y otras vituallas para berberia y otras tierras de infieles, y que dello se avituallan y provehen las fustas de Moros que vienen a infestar nuestras mares y robar a nuestros subditos, deveys tener mucha advertencia en no dar tal

permiso, sino en caso, y para tierras de donde no puedan venir daño a los christianos ni hazer fuertes a los moros por defenderse de nuestras armadas, y esto con causas muy razonables necessarias y con imposicion de derechos extraordinarios, segun que en tiempo que vivia el catolico Rey my señor y abuello, que en gloria sea, se acostumbrava fazer y sobre todo mirando que se pueda hazer sin pecado y cargo de consciencia.

Bibliothecæ Academiæ historicæ, Matriti, in codice A, 18, f° 88.

APPENDIX OCTAVUS

Victoriæ in Gilva insula ab Ugo de Moncada reportatæ relatio a Joanne Perez de Nueros, classis numeratore scripta.

Hanc relationem Joannis Perez de Nueros propria manu exaratam, vir quidam ignotus sæculo decimo septimo transcripsit, quam totam et ad litteram inserimus, etsi una et altera menda vitiatur. Gravissimam earum facile est agnoscere, quæ constat prœlium in insula commissum bis referri ita ut duas pugnas initas fuisse credas ; sed accurate relationem legenti apparet unam et eamdem dissimilibus modis bis narrari. Auctor sane rudis litterarum est, sed cum hujus belli testis unicus est opus ejus dignum legi nobis videtur.

Con la buena ventura que guia el espiritu santo y favor del omnipotente Dios y gracia del buen Jhesus y intersecion de su bendita madre, para seguir la justa y feliz empresa, martes a XXIIII del março entre las xvii y xviii oras, embarcaron los cavallos del Illmo Señor Don Ugo de Moncada para dar principio y exemplo a los otros que assi agan ; assi que este dia podemos llamar el dia de la embarcacion y del bien aventurado viaje ; estava ausente Su S^a^ y assi por el mal tiempo que hizo como porque la gente de armas no era pagada, no se embarco ningun cavallo sino que a xxviiij ; hicieron requerimiento los hombres de armas a la ciudad de Trapana les diesen de comer, sino que le tomarian ; respondieronles que responderian al otro dia siguiente y assi vino Su S^a^ y no hicieron cossa alguna sino que todos juntos o la major parte fueron a ablarle, que sin paga ne se querian embarcar a

